

1952.5

DE
PROVINCiarUM IMPERII ORIENTIS
ADMINISTRANDARUM FORMA MUTATA
INDE A CONSTANTINO MAGNO USQUE
AD JUSTINIANUM I.



SCRIPsIT
ET
AUCTORITATE AMPLISSIMI
ORDINIS
HISTORICORUM ET PHILOLOGORUM
IN
CÆSAREA UNIVERSITATE LITERARUM
DORPATENSI
GRADUS DOCTORIS
RITE OBTINENDI CAUSA
PUBLICÈ DEFENDIT
Mag. Sergius Uvarov,
PETROPOLITANUS.

DORPATI LIVONORUM.

TYPIS VIDUAE J. C. SCHUENMANNI ET C. MATTHIESENI.

MDCCLVIII.

I m p r i m a t u r

haec dissertatio, ea conditione, ut, simulac typis excusa fuerit, numerus exemplorum lege praescriptus collegio tradatur ad libros explorandos constituto.

Dorpati Livon. die XVIII m. Maji a. MDCCCLVIII.

Dr. **M. Rosberg,**

ord. hist. et phil. h. t. Decanus.

N^o 30.

(L. S.)

D 20934

Imperii Romani res gestas enarrandi a Constantino Magno ut initium petatur, aequa ratio poscit, quippe qui et caput Imperii condiderit, et Imperii administrandi formam constituerit, quam usque ad Imperii exitium se servasse Byzantini omnis aevi prae se ferunt et gloriantur.

Quem eundem virum summum, si reputatur, sacra Christiana ad debitam eis majestatem, ipsum ea amplexum, evexisse, justum videbitur et consentaneum esse, omnium animos cum in se convertisse, tanquam aureum milliare viae exhinc gentibus humanis sequendae. Nec defuere Constantino, qui et vitam ejus atque res gestas perscriberent, et mores atque indolem perscrutarentur, ac de his sententiam proferrent. Attamen — id quod mirere — plurimum abest, ut ratam teneamus, et eam, quae semel posita in omne tempus valeat in re clara aequè ac gravi. Quam semper tribuerunt meram venerationem et tribuunt Christiani suae fidei patrono, non potuit insectationes et cavilla-

tiones effugere illius aevi, quod, titulo non satis justo, philosophicum *κατ' ἐξοχήν* semet ipsum declaravit. Etsi communis ruina et aevum ipsum et aevi conamina absumpserat, — nihilominus inde enata jam per se inanis controversia novis perrexit armis tractari, et quaestiones huc spectantes iterum iterumque invenias etiam apud recentissimos, hanc rem qui pertractarunt, scriptores. Quarum aliae — veluti num dignus sit Constantinus cognomine Magni — tales videntur, ad quas serio respondere vix operae pretium sit, aliae quidem, et in his imprimis, quae est de sinceritate conversionis Constantini ad sanctam fidem ¹⁾, argumentis de veteribus ²⁾ depromtis, nihil obstat, quin refutentur. Nec dubitabimus, quod nostra certe interest, quamvis inde nascituram animi subdoli accusationem nuda redarguere cogitatione, nunquam ingenium anceps ac dimidiatum par fuisse iis perficiendis, quae vires integri ejusdemque fortissimi animi vix praestaturae videntur fuisse.

Sed nec apologiam viri singularis perscripturus — qualem vix necessariam esse, satis persuasum habeo — et res divinas, ut extra hujus opusculi fines vel supra eos sitas, quam brevissime perstricturus — ad finem propositum conversus de his, quae ad Imperium instaurandum vel potius de integro constituendum ma-

gnus Constantinus animo numine divino afflato finxit genuitque, pauca verba videntur facienda, disquisitionique praemittenda.

Quodsi Constantini Magni instituta politica uberiore narratione amplexuri essemus, nihil nos aliud constaret perfecturos, quam inanem ab aliis hisque sollertioribus jam iterum iterumque tractatorum repetitionem. Quo accedit, quod harum rerum memoria talis ad nos pervenit, ut quam difficillimum sit, siquidem omnino fieri potest, acri discrimine, quae alto illi Imperii restauratori propria sint, ab aliis discernere, temporum serie aut superioribus aut posterioribus.

Nihilominus, si dispersos, quos de opere Constantiano habemus, indices cum Imperii schemate, quod vel Notitia Dignitatum utriusque Imperii nobis praebet, quis conferat, certe puto futurum, ut ejus animo imago se imprimat Constantini ut novi juris publici conditoris, ad quod pergitur adumbrandum.

Atque omnium prima Augusti ipsa majestas cogitationi sese offert. Quae jam inde a primis proavis diva habita numinis imperatorii cultum instituit superstitionesque peperit, quae, diversa fata quum transcurrissent, in iis, quae his de rebus Diocletiano placuerunt, ultimam formam consecrationemque adeptae sunt.

Quod ad imperium attinet Caesarum, hoc quoque fortunae vicissitudinibus obnoxium fuisse constat. Atque, tempora si respexerimus recentiora, videbimus do-

1) Quas aetate recentissima *Burckhardt* renovavit.

2) Ex. gr. *Tillemontii: Histoire des Empereurs (Constantin le Grand)*. T. IV, p. 235 n. 59.

minationem militarem, quae placuisset Septimio, exceptam generosis conaminibus Decii antiquae formae restituendae, dein rebus ad duces paulatim redactis, Imperium sensim militaris aristocratiae formis induisse resque in dies magis ex placitis communis consilii imperatorum pependisse³⁾. Nec ferventes animos et dissensiones sedare potuerunt, quae Diocletiano de numine Imperatorio, de Augustis et Caesaribus, deque adoptionibus et promotionibus ad summum imperium et imperio abdicando placuerunt. Summa urgebat necessitas imperii a fundamentis instaurandi condendaeque domus, quae jure hereditario summam rerum teneret. Quod utrumque temporum postulatum Constantiniana Imperii forma explevit, et in omnia aeva constantem ad regulam et normam redegit. A Deo electus Imperator⁴⁾ justi Imperii absolutam effigiem, requisitam in Vetere Testamento, invenit, vani numinis specie fallaci omissa quidem, sed ejus loco divina consecratione accepta⁵⁾.

Nec minus justus alteri necessitati temporum satis-

3) Collegium Romanum Trebell. Poll. XXX. tyrann. c. 11 et 12. De his et sequentibus cf. optimam expositionem *Burckhardtii* l. c. 21, 25.

4) *Euseb.* v. C. V. 22, 24.

5) *Veget.* r. m. II. s. Inde sacer pro Imperiali. Notitia Dignitatum utriusque Imperii passim. Const. Porph. plures regulas domus Augustae ad Constantinum refert inventorem, ex gr. de adn. Imp. (ed. Bonn.) 67, 82, 86.

fecit Constantinus. Nam et uni familiae et quidem suae ipsius solium vindicavit Romanum⁶⁾, et inde a Constantino forma Imperii repetenda videtur esse, quae effecit, ut haec familia imperatrix maneret usque ad utriusque Imperii finem duratura. Quam, vestigia sequentes novissimi ejusque elegantissimi ingenii⁷⁾, non est, quin brevius adumbremus.

Etenim Imperii ipsius instar, quod in tantis divisionibus et partitionibus semper unum et indivisum putandum erat, etiam, quae Imperium regeret, Majestas una erat, salvis regnantium numero titulisque. Qui omnes, quotquot sunt, Caesares vel Augusti, una Imperii potestate communiter utebantur, suo quisque in munere intra fines communi omnium arbitrio sibi impositos, perque provinciam sibi administrandam commissam certis terminis descriptam.

Unam et indivisam esse Majestatem Imperatoriam declarabant et leges ab unoquoque regnantium latae, atque eo ipso per totum orbem Romanum ratae, quum et legem ipsam putarent ex Imperatorio numine manasse et communi consensu latam ab uno omnium nomine promulgatam esse. Quae principis una et indivisa natura ex axioma juris pendebat, quo principem populum ipsum esse Romanum putabant, sua volun-

6) *Burckh.* l. l. 364.

7) Am. Thierry Arles et le tyran Constantin in *Revue des deux mondes* an. 1857. Tom VIII, p. 128.

tate et lata lege in personam principis conversum. Ut ergo populus unus est, quotcunque capita habet, ita, qui eum moderatur, jure unus habendus erat, quamvis plures essent. Quibus ex principiis usu sequebatur, nullum Imperatorem legitimum esse, nisi a ceteris agnitum et renunciatum communisque Imperii factum participem, quae receptio in sermone juris unanimitas dicebatur. Unanimitas idem erat ac legitimum Imperium, cujus forma erat adoptio; novus Imperator, ceteris probatus, titulo filii seu fratris in familiam Augustam recipiebatur. Foris — soli tyranni erant, temere creati motu seditiosae plebis, quorum acta nulla putarentur, quibus mortuis, leges ab ipsis latae rescinderentur.

Quodsi nunc ad Imperii ipsius administrandi formam animum attendimus, in promptu est, inde a primis Imperii fundamentis jactis et tot tantisque de dignitate Imperatoria sententiis mutatis et militari obtinente dominatione, et omnia miscens dominis nequissimis et aliis nonnullis veterem R. P. statum instauraturis, illam semper sibi constantem, incertam et ambiguum, per totum id tempus permansisse, qualem ratio ab Augusto inita constituendi Imperii eam necessaria lege reddidisset. — Semper profecto ab una quidem parte palatina obtinebant munera, quibus prae ceteris propria erat ipsius principis electio intimaeque cum ipso consuetudinis vinculum, — ab altera vero veteres R. P. magistratus, qui prisca sua, quamvis commutata vi, nihilominus tamen vestigia servabant prioris naturae. Nam, novi

magistratus Caesaris quum fungerentur vice, — veteres contra etiamtum populi magistratus erant, quum a Senatu crearentur, rerumque statum antiquum referebant, auspicia habebant, et, qui in provincias mitterentur, plerique cum imperio erant, id est summae rerum in provincia sorte eventura praeerant. Quae ambiguitas pariter et potestatum cumlatio jam cessatura erat. Jam, qui ultimi ante Constantinum orbem Romanum rexerant, quum nec Romae amplius degerent, et urbem propriis identidem nudatam copiis inermem redderent, conati videntur esse urbem aeternam a summo rerum fastigio detrudere. Sed unâ cum condita nova Roma desiit vetus caput rerum esse, populusque Romanus et, qui ejus vicem agebat, Senatus in perpetuum eam amiserant summam auctoritatem, qua factum erat, ut Roma, crescente in dies et Republica et Imperio ipso, universo orbi Romano formam imponeret unius ejusdemque ingentis municipii.

Simulatque in ordinem provincialis metropoleos redacta est Roma, cessarunt usu et alia complura singulis orbis Romani partibus propria, communi omnibus Imperii provinciis administrandis forma imposita, et, vetere Imperii incolarum liberorum inter se discrimine, si non sublato, certe in dies vi priore exuto, ubique terrarum cessandum erat omnibus ad id spectantibus rebus, ut unius Imperii uniusque domini omnes, Imperium qui incolerent, communi ratione subditi putarentur et essent, atque, fracta ultima municipali publica rerum

administrandarum forma, ubique ut inualesceret unius dominatio, jure dominandi ubicunque terrarum aequali. Id omne quae effecit constitutio Constantiniana, de veteri magistratuum imperio nihil retinuit, nisi universae administrationis Imperialis militarem maxima ex parte speciem 8).

Ceterum, ut ratio ipsa mutata Imperii administrandi formae poscebat, et singulae, quae imperio continebantur, potestates acriore, quam antehac, secernendae erant discrimine, et dignitatum omnium fons unicus solus princeps posthac habendus erat. Idque ea etiam lege, ut apertum esset, singulas quasque dignitates, officia vel munera, nulla gravitatis eorum ratione habita, aequa mente manu divina collata esse 9).

Ceterum his in rebus, imprimis quae ad palatina munera spectant, Constantinum, quum plerumque vestigiis insisteret Diocletiani et aliorum superiorum Imperatorum, tamen in largiendis veteribus, in creandis novis honoribus animo egisse rationis semel initaе omnino conscio 10), satis notum est.

His igitur omnibus, sive etiamtum in palatio observabantur sive vacatione vel optata quiete fruebantur,

8) cf. *Panciroi.* ap. *Boeking* Not. dign. Imp. Or. 530, 532. De militari saeri palatii specie v. s. *Manso* l. l. p. 155.

9) Id quod vel ex laterculo utroque instituto conjici licet. cf. *Manso* l. l. 172. *Boeking* l. l. LIV. 268.

10) *Euseb.* v. C. IV, 1.

post impleta officia fidelis obsequii, nonnunquam et provinciam sortitis administrandam beneficio principis quum privilegia quaedam data essent, quae una cum donis principum etiam ad liberos eorum descenderent 11), — necesse est factum esse, ut ex palatinis aliisque magistratibus majoribus et jam exstanti ordine Senatorio nova crearetur nobilitas et hereditaria et quae, quum honorum praerogativa necessario vinculo cum honorum possessione juncta esset, tota aulicis dedita studiis, ceterum, ut omnes Imperii res, ex nutu penderet principis, fidelitate in eum prae ceteris obstricta respectu collatorum in se beneficiorum 12).

Hac ex nobilitate 13), in classes aliquot distributa, hierarchia quaedam effecta honorum communium classium nexu quam artissimo cohaerebat publicis cum officiis, quae et ipsa ad strictam redacta erant hierar-

11) *C. Theod.* VI. tit. 35 paratitlon Gothofredi.

12) cf. *Burckhardt: Zeit Constantins d. Grossen.* p. 453. Hic, ut compluribus aliis in rebus, Constantinum praeoccupasse, quae aevum recentius erat editurum, non est quin dubitetur. Fuerunt, qui principia feudorum inde a Constantino Magno peterent; ex gr. *Stevechius* ad. *Veget.* d. r. m. I. c. 13. p. 33. *Le Beau* Hist. du Bas Empire. I. p. 523. et ap. *Boeking* Not. dign. Imp. Or. aliquot veterum testimonia eadem sentientium, ex gr. *Sig. Gelenii* XL. Quodsi retineantur Germanicae feudorum origines, nihil obstat, quin statuamus, Constantinum nonnulla a barbaris mutuatum esse, quos eum in deliciis habuisse, satis notum est. cf. *Gibbon* History of the decline and fall of the Roman Empire. II, 50.

13) *Gothofredi* paratitlon ad L. VI. C. Theod.

chiam, quam jurisdictionis vocat gravissimus de his rebus auctor ¹⁴). Horum provincias cursim perlustrari, omnium primum earum singulas ternis contineri animadvertimus administrationis generibus, in quae universum Imperium administrandum divisum erat, — rei civilis, cujus summum fastigium IV praefecti praetorio tenebant, rei militaris, sub magistris militiae ¹⁵) posita administratione, et sacri palatii cum VII ipsius summis magistratibus. Quae III administrationes inter se coaeruerunt in sacro consistorio principis, summo Imperii collegio, nulli rei obstricto nisi arbitrio principis. Ad cujus augendum splendorem quum sacrum palatium imprimis destinatum esset, id ipsum institutum simul totius Imperii constituti quasi fastigium erat. Nam ita erat pro officio distributum, ut in eo cujusque administrationis fila concurrerent, et vicissim ex eo oriretur nova administrandarum rerum utriusque provinciae, militaris scilicet et civilis, exactior secretio et palatium ipsum principi per se acturo praesto esset.

In quo instituto satis noto et saepius idque optime pertractato ne diutius remoremur, satis erit nonnulla indicasse, quae et dictis exempla sint, et, instituti lineamentis quibusdam adumbratis, ejusdem naturam re-

14) *Boeking* Not. dign. Imp. Or. XI.

15) Duorum a Constantino constitutorum. Nomen nec tam rem ipsam superioribus exstitisse temporibus, cf. *Vopisc. Aurelian.* c. 10, 17 et *Salamsium* ad l.; cf. etiam *Boeking* Not. dign. Imp. Occ. p. 207 sqq.

conditiorem novamque rationem eo condendo initam fortasse declarabunt.

Sacri praepositus cubiculi, primus ordine recensendus, auctoritate tamen, quum prope uni splendori aulico destinatus esset, nulla erat, nisi imbecillis regnantibus dominis.

Magister officiorum, scholarum praefectus palatinarum, et qui sub dispositione haberet per totum imperium armorum fabricas, propriam provinciam habebat principem cum populo conciliandi, quum et principem adoraturis aditum daret, literas supplices principi datas appellationesque ad eum afferendas curaret et principis responsa et dispositiones referret.

Quaestoris officium, qui praeter nomen nihil prisei retinuit, nisi quod particeps erat intimorum principis decretorum, quum orationes principis componeret, quae et vim et formam edictorum habebant, et legum ferendarum revera habuit facultatem, et summus arbiter effectus est conciliorum et omnis juris civilis veluti fons putabatur.

Tota Imperii administratione bifariam divisa, ex utraque deprompta tertia effecta est provincia, atque per II summos magistratus, quorum sub dispositione posita fuit, quique simul palatini erant, per sacrum palatium in manus principis devenit, aerarium et fiscus ¹⁶),

16) Quae administrationem per se effecisse, id quod fortasse justo minus animadverti solet, disertis verbis declarat vel *Justinianus* N. XXX.

aerarium quum per comitem sacrarum largitionum administraretur, patrimonium vero principis comes tractaret rerum privatarum.

Duo porro comites domesticorum hic commemorandi sunt, ut qui una cum magistro officiorum palatinis imperarent copiis, quae et ipsae ad peculiarem palatii naturam pertinent. Nam propriam efficiebant principis prae ceteris in eum fideli animo velut cohortem, prope ad similitudinem comitatus Germanici accedentem. Quum enim a principe ipso pro virtute praestita et pro meritis deligerentur, et seminarium praebebant futurorum ducum et a latere principis mittebantur de statu provinciarum relatum, aut ut nomine principis ductores exercituum comitarentur, atque in univ^{er}sum intimis digni ducebantur principis missionibus.

Hoc modo trifariam dispertita Imperii universi administratio per gradus ejusdem digesta erat hierarchiae, quam jam semel usurpato vocabulo hierarchiam jurisdictionis appellabimus, et quae ita comparata fuit, ut contineret res omnes publicas administrandas magistratusque, quibus illae commissae erant; ita quidem, ut in civilibus aulicisque administrationibus singula fere negotiorum genera a summo fastigio principum sublimique praefecturae praetorianae summorumve magisteriorum honore usque ad intorum apparitorum locos abjectaque cohortalina ministeria suos curatores haberent, sicuti et in militaribus rebus gerendis a gregario milite

ascendebatur usque ad magisterium militum ac summum Imperii fastigium divinumque principis nutum.

Postquam inde dignitatum gradus communes facti sunt et ratio inita est assimilandi, effectum est, ut vix ullum munus publicum vel dignitas qualiscunque reperiretur, quae extra istius hierarchiae fines vagaretur. — E contrario munera omnia, atque prae ceteris quae certae essent ac definitae naturae diversis in administrationibus, quamquam dignitatis aut superioris aut inferioris, et varia praedita aut imperandi facultate aut obediendi officio, intra fines continebantur unius ejusdemque, quod administrandum universum orbem Romanum amplecteretur, omnium civilium, militarum palatarumque rerum corporis in se constantis et absoluti.

Quodsi ad varias hujus hierarchiae dignitates respicimus, quum multa reperimus nomina priscis reipublicae temporibus propria, tum satis frequentem comitis appellationem, ut quae Imperii oriundi commoneat, ejusque radices usque ad remotissimum aevum persequendi copiam faciat. Ita, si vel exemplum Notitiae Dignitatum Imperii Orientis sequimur, IV comites invenimus inter illustres, alios inter spectabiles, — comitem Orientis et II comites rei militaris: porro sub dispositione comitis sacrarum largitionum comites inveniuntur largitionum per omnes dioeceses, III comites commerciorum, comes metallorum per Illyricum, comes rationalis summarum per Aegyptum.

Sed illo etiam aevo, cujus est Notitia, frequentio-

rem fuisse hanc comitis appellationem, facile affirmaverim. Novimus enim aliunde dignitates nonnullas, et eas comitivas, quae desunt Notitiae Orientis certe ¹⁷⁾. Atque, utriusque Imperii Notitias inter sese si conferamus, invenimus eas in comitum dignitatibus afferendis non prorsus congruere ¹⁸⁾. Nec deest aliis in monumentis comitis appellatio magistratibus quibusdam, hisque summis, quibus Notitia hoc nomen amplius non tribuit ¹⁹⁾. Quam appellationem, etsi non ubique eadem notatam frequentia, constat tamen a Constantino ²⁰⁾ ita pervulgatam esse, ut communis fieret omnibus magistratibus, sive sacri erant comitatus participes, sive in provinciis versabantur, sive a latere principis erant remotiores.

Cujus dignitatis nomen, cum Imperatore necessitas, etiam III ejusdem ordines ²¹⁾ et hierarchiam et totum, Constantino quod placuit, Imperii administrandi schema, nec nomine solo sed etiam re ipsa, quod ex

17) *Boeking* Not. dign. Imp. Or. 126, 233. Comes stabuli v. *Gothofredi* Not. dign. Cod. Theod. *Pauly*: Real-Encyclopädie der classischen Alterthumswissenschaft.

18) Sic magistrum militum praescutalem comitem appellat Not. dign. Imp. Oc.

19) cf. *Gothofredi* Not. Dign. Cod. Theod. *Tillemont* hist. des Emp. IV, 283, 285, 662. *Brissonius* de sign. verb. comes.

20) *Gothofred.* ad l. 4. Cod. Theod. IX, 1.

21) cf. *Euseb.* v. Const. ap. *Gothofred.* ad C. Theod. VI. tit. 13. cf. *Sueton.* Tiber. 46.

parte hereditario quodam delibato jure per medium, quod dicitur, usque ad nostrum pervenit aevum, cum primis Imperii originibus, cum liberae reipublicae temporibus. imo etiam remotissima, fortasse regum ipsorum, aetate connectunt. Nam minus placet *Tillemontii* sententia ²²⁾, qui primos comites ab Augusto institutos fuisse censet, eosque putat quaerendos esse in semestri consilio e senatoribus constituto, quod sorte elegit Augustus, cum quibus de negotiis, ad frequentem Senatuum referendis, ante tractaret ²³⁾. Attamen nec Suetonius nec Dio his de Senatoribus, aetatis posterioris futuri principis consistorii qui praecoccuparint speciem, referentes verbum comitis usurpant; imo id ipsum, quod sorti eventurae commissi erant, hunc domesticum, ut ita dicam, senatum effecturi, demit ipsis, quod proprium est comitis, electionis principis intimaeque ejus necessitudinis signum, quo ipso comitis dignitas a magistratibus reipublicae quam maxime differt.

Nec alibi de comitibus Octaviani mentio fit; sed certe quidem Tiberii, quos legerit jam jam iturus ad sedandos legionum Germanicarum motus ²⁴⁾. Tiberium porro novimus, pecuniae parcum ac tenacem, comites nunquam salario, sed cibariis tantum sustentasse ²⁵⁾.

22) l. l. 285.

23) *Sueton.* Oct. 35. *Dio* Cass. LVI, 28.

24) *Tacit.* Ann. I, 47.

25) *Sueton.* Tib. 46.

Quo ex loco *Ernestius* ²⁶⁾ conjicit istud, quod sustulerit Tiberius, salarium ab Octaviano Augusto constitutum fuisse. Et omnino consentaneum videtur esse, Augustum nihil aliud fecisse, nisi ad disciplinam quandam redegisse institutum, quod longe repetendum videtur, sed, diutius tanquam extra jus publicum, qua liberae reipublicae temporibus obtinebat, quum vagaretur, auctoritatem tandem adeptum est una cum ea Romae antiquae parte, cujus ultima victoria Imperium, unius dominium, condidit, quaque inde ab initio comitum institutum arctissimae necessitatis vinculo junctum erat. Id praeterea, de quo agitur, institutum earum est rerum, quae tam generalis sint naturae, vel certe tam frequentes inveniuntur, gentibus ad certum humanae culturae gradum erectis, ut eas vix uni cuidam populo aut uni cuidam aetati tribueris proprias. Quam ob causam ad rem nobis propositam non tantum pertinere videtur, instituti radices et fontes si investigentur, quam eruendum esse, qua via comites ex privata vita ad publicis fungendum muneribus emergerint. Quem in finem primum conducit attentius secum identidem reputare intimam et familiarem comitum cum patrono necessitudinis naturam, quem ubique animo devoto sectarentur, cujus cum secunda adversaque fortuna aut caderent aut starent.

Nec unius viri fortunis steterunt, imo, hereditario

26) Excursu XV ad *Sueton.* Tiber. 46.

quasi jure, justo heredi tradebantur. Sic Tiberium, refert *Tacitus* ²⁷⁾, Sex. Vestilium, Druso fratri percarum, mortuo fratre, in cohortem suam transtulisse.

Et alia infinita sunt exempla ²⁸⁾, quae demonstrent, qualis fuerit comitum ab initio instituti ratio, ut qui nec soli urbanitati inservirent neque in sola patroni vanitate colenda tenerentur; sed potius res erat prae ceteris idonea ad conatus optimatum, novas res molientium, juvandos, iisque ultimam parandam victoriam. Dein quaerendum est, quo tempore et ubi ad res publicas tractandas comites accesserint. Quod, quum, ut supra dictum est, sese antea finibus vitae privatae continuissent, primum nacti videntur, ex quo provinciae ad ordinem redigi coeptae sunt, quas affirmari potest, arbitrio unius commissas, reipublicae per se acturae plus minusve subductas fuisse.

Quicumque provinciam sortitus erat, ad eam administrandam juribus omnibus, regio prope imperio instructus, proficiscebatur circumdatus corporis custodia, stipatus amicorum et comitum manu, qui ipsi in negotiis gerendis auxilio et consilio futuri essent. Quibus omnibus, in provinciam profecturis, sensu latiore co-

27) *Ann.* VI. 9.

28) Ex quorum numero hic unum tantum ponatur temporibus depromptum vetustioribus; vide eximiam, quae modum antiquitatis prope excederet, fidem C. Blossii in *Tib. Gracchum.* *Plutarch.* Tib. Gracch. 8, 20.

horti praetoriae promiscuum nomen erat ²⁹⁾, amicis igitur et comitibus familiaribus, haruspicibus, lictoribus, accensis, scribis, praeconibus, libertis, etiam servis ³⁰⁾, qui universus comitatus tunc primum reipublicae curae et oneri erat.

Sed et arctiore sensu cohortis praetoriae nomen in usu erat ³¹⁾ ad ejus, qui provinciae praeesset, proximos familiaresque denotandos, qui et ipsi ejus comites et putabantur et erant.

Quos inter comites futuri invenimus Imperii summos magistratus. In his porro legati erant, qui, quamquam a Senatu probabantur, tamen soli prope arbitrio imperatoris commissi erant eligendi ³²⁾, tantaque in eum colendum fide fuerunt, ut eorum operam fiduciarum vocavit Caesar ³³⁾. His ex comitibus provinciae proconsul aut propraetor, qui sibi consilio essent conventum provinciae juridicum peracturo ³⁴⁾, eligebat.

Inter comites cohortis praetoriae, et quidem inter summos, quaestor quoque erat, qui, quamquam sorte

29) Cujus instar cohortem amicorum expressam esse apparet. Lipsius ad *Tacit. Ann.* VI, 9.

30) *Cicero* ad *Qu. fr.* I, 4, 4, ad *Attic.* VII, 2, pro *Rabir.* 5. in *Verr.* II, 10, 30. *Hor.* ep. I, 8, 2, *Liv.* XXXVIII, 54. *App.* pun. 66.

31) *Cicero* ad *Qu. fr.* I, 1, 3.

32) *Cic.* in *Vat.* 15. p. *Next.* 14, ad *div.* 1, 7.

33) *Sall. Jug.* 28. *Cic.* ad *div.* XIII, 55, ad *Attic.* XV, 11, de *prov. cons.* 17, *Corn. Nep.* *Att.* 6.

34) *Bell. gall.* VIII, 50.

legebatur ³⁵⁾, nihilominus in imperatorem, quem comitaretur, animo debebat prae ceteris pio esse ³⁶⁾. Quod cohortis praetoriae et proconsulis aut propraetoris comitum institutum quum deesset, quod quodammodo extra statum reipublicae, qui antiquitus obtinuisset, enatum formatumque esset, cumque ejus magistratibus ceteroque jure publico vix ullo alio vinculo cohaereret, nisi per imperatoris personam, de cujus arbitrio penderet; quid aliud fieri potuit, nisi ut institutum idem, comitum nempe, parem locum, eumque summum, adipisceretur, facta illa rerum mutatione, qua provinciarumque administrandarum forma Romam irrumperent, id quod ad unius imperium condendum tanti fuit momenti. Nam Romanorum stabilis ac velut ferrea semel placitorum tenacitas et, qua prae ceteris praediti erant, rerum publicarum sollertia diu servarunt eos a malis eventibus ejus reipublicae status, qua lance iniqua penderetur nutus unius regnatricis urbis et multitudo diversis titulis subditorum.

Ad quod vitium sanandum nihil profuit civitas Romana omnibus Italicis vindicata urbisque pomoeria per totam Italiam prolata, quum potius hac urbis dilatione ferventibus urbis partibus novae vires additae essent, — et provinciarum ingens magnitudo, non tam ipsi reipublicae quam optimatibus opitulatura, extrinse-

35) *Cicer.* in *Verrem* I, 29, II, 29. V, 6. *Gell.* XII, 7.

36) *Cic.* in *Verr.* I, 13, ad *Qu. fr.* I, 1, 3, ad *Att.* VI, 6.

cus majus in dies periculum minaretur. Nam earum divitiae et misera sub annuis magistratibus conditio auxiliaque vix praestanda in causis fuerunt, cur alea de Romana fortuna saepissime extra Romam et Italiam jaceretur, cur Pompejus se Romae non esse tutum crederet, dum Caesar in Galliis esset, Caesar sibi timeret Pompejo Graeciam, Pompejanis Africam et Hispaniam obtinentibus, cur triumviri, cur Octavianus rebus diffiderent suis, dum percussoribus Caesaris, dum Antonio Orientis copiae et thesauri parerent. Duorum alterum necesse erat fieri; — aut orbis Romanus dilapsurus erat, aut extrinsecus, provinciis Romam irrupentibus, Romam eundem erat, Romaeque unius principatus concludendus, cujus auspiciis et Roma et provinciae aequo regerentur jure.

Quorum quod posterius evenit neque tum iteratum est spectaculum, quod jam semel Alexandri Magni diadochi dederant, — hic rerum eventus patriae amori debebatur, tunc quidem temporis nunquam delendus vere Romanis qui insitus erat animis, atque insatiabili gloriae cupidini, cui regnare parum esset, nisi Romae regnaretur.

Quae rerum mutatio et diu imminens et saepe, sed eventu iniquo, tentata postquam denique auspiciis Augusti perfecta est, urbem ipsam, incolumi dumtaxat per speciem, reapse in posterum inani reipublicae simulacro retento, ad formam dixeris jam tum redactam provinciae, quum et veteranis sagatis, per vim dedu-

ctis coloniis, agri Italici darentur et praetoriani, corporis custodes ejus, provinciae qui praeficiebatur, Romae castra ponerent, praefecto praetorii, eorum ordines qui ducebat, ad summum rerum fastigium promoti. Sic et consilium principis, sacrum futurum consistorium, a consilio proconsulis aut propraetoris videtur desumptum esse et, qui sensu arctiore cohortem effecerant praetoriam comites, principes comites facti, res omnes tractare coeperunt, magis magisque prisca cedentibus reipublicae magistratibus, quum contra in dies cresceret comitum auctoritas et comitatus subreperet institutum, ex quo sumerentur vel in quem legerentur, publicis qui fungerentur officiis, vel novos acturi magistratus, principis dignati electione familiaritateque.

Cujus comitis appellationis origines et aucta in dies frequentia si hucusque paucis verbis adumbratae sunt, non tam de nudo verbo, — quamquam et ipsum non indignum videatur, quod impensius investigetur, momenti respectu habito, cujus fuerit et in schemate Imperii a Constantino instituto et in medio, quod dicitur, aevi historia, — quam de re, de mutata rerum publicarum ratione, agebatur, quam novam oriri ejus dignitas titulo, ut ita dicam, inscripto indicare potest, vergentibus generis humani fati ab antiquo statu ad novam formam. Et re vera comitibus constitutis quaedam quasi praeoccupata dixeris ex eo systemate, quod per totum subsequens aevum, medium dumtaxat, valuisse et

viguisse satis notum est. Nam comitum ³⁷⁾ cum domino necessitudinis vinculum idem ferme erat atque hominis cum homine, senioris scilicet cum fideli, nexus ille recipientis in gratiam et fidem praestantis, qui nexus quasi dimidium systema feudale suo tempore effecturus erat. Et alterius ejusdem partis, quae ad beneficia homagiumque spectat, tunc temporis simile quiddam fuisse suo loco videbimus; sed prius de comitis officio, de ipsa comitiva ³⁸⁾, nonnulla praemittenda.

Comitivae igitur nomen honoribus, officiis et administrationibus rite apponi statuendum est, modo princeps sit, qui largiatur, ea quidem lege, ut, hoc quem munere largiendo dignatus sit, in gratiam et familiaritatem receptus, prae ceteris principis — sequioris ut utar aevi verbo — homo fiat. Quamobrem omnia complexi comitivam ita definire possumus, ut fuerit munus dominicum, tribus his sensu latiore partibus quod constaret: dignitate ipsius, administratione certa, re denique administranda ipsa sub dispositione posita ejus, cui administranda evenisset. Quae quidem constare potuit aut personis, h. e. minoribus magistratibus tantum, quatenus

37) *Cic.* div. 14, 18, 19, 20. *Verr.* I, 4, 1, 14, 15, p. *Planc.* 11, p. red. in sen. 14, ad div. XIII, 10, 26, ad Att. VI, 6. de or. II, 47, 50.

38) *Gothofred.* ad l. 3. *Cod. Theod.* VI, 14. *Cassiodor.* var. VI, 12. Graecis *κομητοῦρα*, sed sensu jam commutato, *Du Cange* in *An. Comn.* in *C. Scriptt. hist. Byz.* T. XI, p. 87. ed. *Venet.*

quisque inferioris dignitatis sub dispositione superiorum fuit, aut dioecibus ac provinciis aut administrationum generibus singularibus cum rebus omnibus, quae ad illa pertinerent.

Namque, sive solam continebat dignitatem ³⁹⁾, nulla adjecta administratione, sive utramque, sive cum rerum erat dispositione conjuncta, sive ea carebat ⁴⁰⁾, sive jurisdictionem habebat seu non habebat, sola comitiva, quam princeps ipse impertiebat, seu de more tributa seu extraordinario principis mandato ⁴¹⁾, eum, qui adeptus esset, et hominem faciebat principis, et per id ipsum hominem publicum, qui jam publica negotia aut re ipsa tractaret aut tractandis idoneus putaretur. Quem contra comitivae donatione non esset princeps dignatus, is, quicumque erat, reipublicae ministris non est adnumerandus ⁴²⁾. Quae comitivae delatio non caruit symbolis novis, novae quae responderent rei. Jam fortasse inde a Constantino ⁴³⁾ ipso repetenda videntur

39) Veluti Comites vacantes (*Gothofred.* ad *Cod. Theod.* VI, 18); de iisdem cf. s. *Cassiodor.* etiam II, var. 16. Artificibus quoque quibusdam, etiam vulgaris artis, comitivam, atque primi etiam ordinis, interdum delatam, vid. *Cod. Theod.* l. c. tit. 20. l. 1, et ibid. *Gothofred.*

40) Veluti ipsius quaestoris.

41) cf. *Boeking Not. Dign. Imp. Or.* XII.

42) cf. *Cod. Theod.* lib. I, tit. 3, l. 1, atque ibi *Gothofred.*

43) Veluti ex gr. officia uniuscujusque magistratus, quae ne sub dispositione quidem ejusdem posita referantur, nec pro-

esse magistratum symbola, quae nonnulla nobis utriusque Imperii servavit Notitia.

E quorum numero sat erit cinguli meminisse, signum activae quodammodo comitivae quod erat, ea lege, ut praecincti, ἑμπλεκτοί, dicerentur, in dignitatibus et administrationibus constituti, oppositi ἀζώτοις, honorariis, qui solos dignitatum, assecuti essent codicillos 44).

Hanc brevem indolis comitivae adumbrationem aptius finire non videmur posse, quam notam jam *Zosimi* 45) refutando sententiam, quum animo a caeco inanum idolorum et jam exsoletae antiquitatis cultore longe diverso in his, divinae fidei magnanimo instauratori quae placuerunt, non rerum perturbatio sed potius novae administrandi Imperii atque etiam orbis universi regendi rationis novique juris publici semina cernantur.

Zosimi injecta mentio ansam praebet ad aliam

prium hierarchiae civilis gradum obtinebant, sed negotiorum tantum, quae ad magistratus ipsis praepositos spectabant, exsecutores erant, ipsique officiales ministri magistratum potius, quam rei publicae, fuerunt. Nec tamen hi ex arbitrio tantum magistratum pendebant, gratiae palatii quasi expertes. cf. *Boeking* Not. dign. Imp. Or. XIII. Manso l. l. 139 sq.

44) Manso l. l. 169 sqq.

45) *Gothofred.* paratitl. l. cf. Cod. *Theod.* lib. II. tit. 10, l. 3 et ibi comment. *Gothofred.*, lib. VIII paratitl. *Gothofred.*, et eundem ad l. IV. Cod. *Theod.* IX. 1. cf. etiam *J. Edict.* XII. c. 2. *J. N.* XX. c. 2.

ejus accusationem transeundi, quae Constantinum quasi reum 46) egit. Constantinum enim, limitibus milite nudatis, Imperii incolumitatem in discrimen vocasse ait. Sed ne haec quidem accusatio, quamquam etiam a *Lydo* repetita 47), quidquam valet contra testimonia alibi allata 48), Constantinum et hic nihil remissius egisse, immo vehementissime Imperium ad arcendos barbaros propugnasse, via jam a superioribus Imperatoribus inita, vel potius inde ab ipsis Imperii originibus constituta. Nam etiam a Constantino accepimus per limites Imperii aedificata munimenta limitesque ipsos ducibus defendendos commissos esse.

Et ducum nomen dignitasque quum partes egerint gravissimas et in forma Imperii Constantiniana et per aeva posteriora, non abs re videtur, et ducum et limitum iis ad custodiendum traditorum et universae Imperii fines tuendi rationis mentionem aliquam huic intexere opusculo.

Quod ad vocabulum ipsum attinet, praeterquam sensu militiae generali, quo et praetori et consuli designando usitatum est, id priscis temporibus perraro

46) *C. Scriptt. hist. Byz.* ed. Bonn. p. 98 sq.

47) *ibid.* p. 100. et causa adjecta *δέου τυραννίδος C. Scriptt. hist. Byz.* ed. Bonn. p. 225. cf. etiam *ibid.* 233.

48) quae adhibita inveneris ap. *Tillemont.* l. l. p. 282. cf. etiam *Reitemejer.* ad locum *Zos.* supra allatum et *Manso* l. l. 141, 171.

occurrit ita, ut certa significet officia. *Cicero* certe eundem et ducem, dicit et praefectum classis ⁴⁹⁾, et usque ad extremam Imperii Romani Orientis aetatem ducis dignitas ei apponebatur, qui classi praeesset, — sed ne *Cicero* quidem satis liquet num ducis appellatione tanquam vocabulo illi muneri proprio usus sit. Auctor Etymologici a *Du Cange* adhibiti ⁵⁰⁾ primos duces ait bello Mithridatico — nec affert, quo bello — constitutos esse.

Sed jam frequentius occurrit, Imperatoribus summam rerum obtinentibus, ducis et ducatus verbum. Primum vel certe in primis inveniuntur in vita Pescennii Nigri ⁵¹⁾, qui, multis ducatus gestis, eo pervenit, ut universos Syriacos exercitus regeret. Eadem in vita describenda affert Spartianus Commodi Septimique Severi literas ⁵²⁾, quae declarant, verbo ducatus eodem duos diversos tunc temporis dictos esse gradus, quum a gregario milite per ducatum ordinis ad tribunatum promoverentur et inde ad ducatus fastigium.

Quod quum ita sit, si priore sensu dux pro centurione habeatur, videtur altero pro legato vel legionis praefecto habendus esse, re nulla, nisi quod novo verbo

49) Verr. V. 33.

50) Gloss. Graecitat. s. v.

51) Spartian. Pescenn. Niger c. 1.

52) ibid. 3. 4. cf. *Casaubon.* ad loc.

designabatur, mutata. Nec fortasse locis allatis alium ducis appellationi sensum scriptor subjecerit.

Sed mox et novam significationem haec adepta est appellatio, novum militiae gradum declaratura, statu reipublicae, inde ex quo ad Imperii formam redacta erat, mutata. Quamvis enim Imperium semper cresceret magnitudine atque aliis super alias terris in formam provinciae redactis augetur, infitiri non possumus, rem Romanam jam pridem, jam inde fortasse ab Octaviani Imperio eo redactam esse, ut bellum potius defenderet, quam ultro inferret. Jam inde repetendus est suspectus circa limites Imperii fervor, in justa tumultuariave bella identidem qui prorumperet ea violentia et propemodum uno tenore frequentia, ut gravissimis curis apparatusque ad limites tuendos novos opus esset, quae nec unquam essent cessatura et, a fatis Romae in posterum inseparabilia, sagati Imperii augendi — vel minuendi quasi oram efficerent extremam ⁵³⁾.

Limitum nomen, pro termini vocabulo, limitesque concaedibus firmati, ibique, praesidio quae essent, legionum posita stativa locis plurimis apud Tacitum inveniuntur. Pendebant enim et haec ex belli gerendi

53) Sic, Africa Romano statim restituta Imperio, Justiniano imprimis ibi limitum restituendorum cura fuit. cf. ipsius constitutionem *A. Belisario* Magistro Militum per Orientem C. I. XXVII. de iudiciis militaribus et officiis eorum datam.

jam inde ab Octaviani temporibus ratione mutata, aequalibus minus fortasse, sed eo magis posterioris aevi quae innotuit scriptoribus. Sic Herodianum⁵⁵⁾ habemus auctorem, Italicos, populo Senatuque rem Romanam obtinentibus, omnes in armis fuisse, terra marique Imperium sibi comparasse, cum Graecis barbarisque bella gerentes; quum vero ad unius Augusti arbitrium devenisset Imperium, Italicos ait eum pacasse et armis nudasse, quum Imperii finibus castris et castra circumdedisset, conductisque cibariis mercede conductos, propugnacula orbi Romano, constituisset, majorum fluminum alveis fossisque ductis aut montium molibus terrarumque spatiis desertis adituque difficilibus Imperium tutatus.“ Iisdem conceadibus et Trajanum victoriis parva retenturum fuisse accepimus⁵⁶⁾ et, Hadriano imperante, illis in majus auctis undique septum esse Imperium⁵⁷⁾.

Inde magis magisque curam imperantium ad se tuendos ordinandosque convertisse limites videmus. Praeter justos numeros, quo nomine legiones jam vocari coeptae sunt⁵⁸⁾, propriam perpetuamque militiam habere inceperunt, limitaneos a limitibus, quos defenderent, sub militandi condicione fundis, qui in ipsis li-

55) II. 11.

56) Aurel. Vict. Caesar. c. 13.

57) Spartian. Hadr. c. 13 et ibi *Salmas.*

58) cf. *Salmasium* ad c. 14 *Vopisc. Prob.*

mitibus siti erant, acceptis, dictos milites, -- et singulis committebantur, qui ducum appellatione iis militari cum imperio praeessent. Et limitaneorum militum et ducum eorum in vitis Pescennii Nigri et Alexandri Severi⁵⁹⁾ prima, ut equidem puto, mentio fit, atque ita quidem, ut de sensu, quo ducis usurpetur appellatio, nulla suboriatur dubitatio. Quod idem aliis de locis dici posse⁶⁰⁾, ob ducis verbi, quam supra indicavimus, ambiguum significationem vix affirmandum videtur esse.

Sed, Valeriano Imperatore, ad certum ordinem reductos limites ducatusque jam reperimus nomen eadem significatione, quam et in posterum retinebat. Scribit enim Flav. Vopiscus⁶¹⁾ Aurelianum, Ulpii Criniti, ducis Illyriciani et Thracii limitum, vices agentem limitem restituisse. Atque alio loco idem scriptor limites eorumque duces, Valeriano imperante, recenset, quos omnes et posterioribus temporibus reperimus. Habet enim⁶²⁾ a Valeriano convocatos et Scythici limitis ducem et duces limitis Orientalis, et Illyriciani et Thracii limitis et limitis Rhacitici. Duos alios limites, in hac qui omissi sunt notitia, circa id ipsum tempus exstitisse, aliis historiae Augu-

59) *Lamprid. Alex. Sever.* c. 58.

60) *Jul. Capitolin. Maximin.* duo c. 6, 14. *Gordian. tres* c. 22. *Trebell. Poll. Valerian.* pater et filius c. 3 et alibi.

61) *Aurelian.* c. 10.

62) *ibid.* c. 13.

stae ex locis constat, Aegyptiacum⁶³) et Transrhenanum⁶⁴). Quos omnes limites et in Notitia Dignitatum reperimus.

Quod ad ducum imperium attinet, quibus tuendi hi commissi erant limites, ratione a posteriorum temporum exemplo depromta, statuendum videtur, duces nonnisi militares fuisse magistratus, tractus quosdam militares in Imperii Romani finibus qui obtinerent, limitaneisque militibus ibi constitutis imperarent, ceterum qui nec civilia tractarent negotia, nec provincias administrarent. Nec huic sententiae repugnet, immo maxime faveat in loco Vopisci supra allato praeses Orientis, salvo duce Orientalis limitis. Ita et tunc temporis, statuendum videtur esse, limites et, quos efficiebant, ducatus territoria fuisse in ipsis provinciis, quarum pars erant, constituta, his ipsis ad barbarorum incursus arcendos quasi praetenta.

Sed ab altera parte de horum ducum ante Constantinum constitutorum imperio nec quidquam certi habemus et cogitationibus, aliis e rebus enatis, permoveri facile quis potuerit, ut eorum imperium et auctoritatem longe majora fuisse existimet. Nam inde a primis Imperii fundamentis jactis jam perspicui potuit omnia penes armatos futura. Atque ipsum Augustum, quum

63) Spartian. Niger c. 7, 12. *Trebell. Poll.* Gallien. duo c. 4.

64) *Trebell. Poll.* triginta tyrann. c. 2. Vopisc. *Tacit.* 3.

provincias in senatorias divideret et fisci, eam sequutum esse praecipuam rationem apparet, ut alterae ab alteris eo imprimis differrent, quod principis provinciae militaribus copiis instructae essent, senatoriae contra prope inermes. Quamobrem et, provinciarum quae minus pacatae essent, principi concedebantur, et pro belli necessitate cum senatoriis mutabantur. Ex quo et ipsa Italia provincia facta est⁶⁵), haec provinciarum divisio per universum orbem Romanum, ad unam eandemque administrandi formam magis magisque tendentem, valuisse dici potest. Et duravit fortasse usque ad Constantinum ipsum; sancitam eam certe accepimus etiam a Probo⁶⁶). Quod factum tamen non tam re ipsa constabat, quam vana species erat, quum Imperii praesenti statui quae minime congrueret. Namque jam pridem et ipsa militia mutata erat, nec jam copiae ipsae tam facile movebantur, quam antea, quum ab una ora Imperii ad alteram oppositam missae transcurrerent. Barbara enim auxilia quum in dies magis legionariis militibus numero praevalerent⁶⁷), vel delectus gratia ad ultimas oras Imperii res militaris inclinabat, nec aliae deerant causae, cur istuc converterentur et rerum discrimen et praecipuae universi Imperii vires. Inde

65) Spartian. Hadr. 22. A Diocletiano etiam tributaria reddita, Aurel. Vict. Caesar. c. 39.

66) Vopisc. Prob. c. 13.

67) cf. Veget. de re milit. t. II. c. 3. et ibid. *Stevech.*

a bello Marcomannorum suscepto jam non desinebant barbarorum undique in fines Imperii impetus; et jam certum est, Imperium in posterum eo redactum esse, ut sua tueretur.

Atque exinde et copias ipsas, quum paene totae ex barbaris constarent, magis magisque a Romanis Italicisve ac denique a provincialibus se abalienare, et, stativis quum continerentur in limitibus positus, in dies magis formam quandam militaris reipublicae induere videmus, vix obtemperaturas, nisi aut crebrius locis moverentur aut earum mutarentur duces. Quorum alterum in receptis fuisse apud posteriores Imperatores, satis constat ⁶⁸). Copias contra jam inde a Septimio Severo quasi immobiles factas esse, et, ut hoc verbo utar, cum limitibus Imperii ipsis, quos defenderent, velut coaluisse, jam Dio Cassius ⁶⁹) docet.

Qui earum imprimis usus fuerit quibusque constiterint ex partibus, ut cognoscatur, Imperatoris Valeriani ad Aurelianum, tunc temporis Illyriciani Thraciique limitis ducem, satis erit adhibuisse epistolam ⁷⁰).

Ad extremas Imperii oras vires praecipuae quum affluerent, atque hic quum manifestius esset in dies rerum discrimen verti, necesse erat, in ipsis limitibus qui constituti erant, magistratus ad summam pervenirent

68) Spartian. Nigr. c. 7.

69) LV, 23—25.

70) Vopisc. Aurelian. c. 11.

auctoritatem. Nam ducibus et copiae parebant et tractus amplissimi unâ cum cultoribus, qui militarent.

Barbaricis copiis qui pollerent gentibusque barbaricis pullularent limites, lege nova eaque militari fundos ipsos colentibus, limites Imperii vix ejusdem generis, atque ceterum Imperium, fuisse apparet. Anceps igitur periculum inde oriturum Imperio imminebat, quum nec negligi limites salvo Imperio possent et ducatus ad tantum crescerent momentum, ut jam reliquo Imperio longe praevalerent, veteresque Imperii magistratus auctoritate omnes antecellerent.

Tantae molis factae sunt Imperii extremae orae, ut, exemplo a condito Imperio repetito, aut Romam ruiturae aut a Roma divulgum iri viderentur.

Conamina utraque triginta quod dicitur tyrannorum vidit aevum. Quorum plerique et duces erant, et ipsorum ducatum, ipsis qui erant commissi, opibus nisi Imperium adepti in provinciis finitimis exercebant ⁷¹).

Atque etiam, summa jam ejus aetatis saevitia, ex ducum numero denuo videmus interdum prodisse, pur-

71) Sic *Posthumius* (*Trebell. Poll. trig. tyrann. c. 2*), *Marius* (*ibid. c. 7*), *Regellianus* (*ibid. c. 19*), *Aureolus* (*ibid. c. 10*), *Valens* (*ibid. c. 19*); contextus sententiam, sensu etiam latiore, idem *Pollio* (*ibid. c. 9*) fortasse indicare videatur. Alios aliquot in historia Augustos hoc titulo carentes *στρατηγούς* vocat *Zonaros* earum provinciarum, ubi Imperialem sibi usurparant dignitatem; sic *Odenathum* (*στρατηγὸν ἀνατολῆς Ζον.* in *C. Scriptt. hist. Byz. ed. Bonn. t. II. p. 595, 600*).

puram qui usurparent ⁷²). Quibus periculis erepta certe res Romana opera illustrium virorum superstes evasit, nec tamen incolumi servata veteri Imperii forma. Et tunc quidem temporis ducatus auctoritates inter magistratus locum excelsum occupant. Ad limites firmandos copiisque instruendos Imperatores illius aevi, quos apte servatores recens appellavit auctor ⁷³), praecipuam adhibuerunt curam ⁷⁴).

Ex praefectis limitaneorum militum jam ad summum in Imperio dignitatis fastigium duces ejus aevi escendere cernimus, nulli nisi Imperatoris ipsius secundum, praeparatorium quodammodo ad purpuram adipiscendam gradum ⁷⁵). Quo cum imperio ducatus praefuerint, certo definiri quum vix possit, tamen, quantum quidem conjectura assequi licet, magno certe fuerunt et tali, quod imperio veterum provinciarum moderatorum nil cederet.

72) Veluti *Saturninum* (Vopisc. *Saturnin.* c. 7), *Bonosum* (Vopisc. *Bon.* c. 14.)

73) *Burckhardt* die rettenden Generale.

74) *Claudius* (Vopisc. *Aurelian.* c. 17), *Aurelian.* (ibid. c. 10, 11), *Probus* (Vopisc. *Prob.* c. 7, 13.)

75) *Zon.* l. l. p. 613, ut ex exemplo *Aemiliani* ducis Mysiae apparet, qui polliceri potuit suis militibus *δώσει πάντα τὰ τοῖς Συρίαις δίδόμενα* (*Zon.* l. l. p. 590). Cumulatas omnes potestates quum ap. priscos praefectos praetorii constet fuisse (*Becker* *Röm. Alterthümer*, II. 3, 290 sq.), per analogiam simile quid etiam de iis magistratibus, summis et ipsis, statueris, quibus singulis singulae provinciae, praesertim militibus cum copiis, traditae fuerint.

Fuerunt etiam duces ordinarii collegii Romani assessores, penes quod, Valeriano imperante, summa rerum fuit ⁷⁶). Et ipsae Imperii res ad militarem administrandi aristocratiam condendam tetenderunt, ductum videlicet ⁷⁷), a quibus Imperator electus et renunciatus ⁷⁸) Imperium ex consensu ipsorum administraret, ducum in collegio tanquam primus inter pares futurus. Atque identidem, etiam post Imperium iterum incolume factum, aevi Valeriani succurrebat memoria terrore plena ⁷⁹). Atque ipsa, Diocletiano quae placuit, administrandi Imperii forma illius ducum aristocratiae gratia excogitata videtur. Qua sublata, etiam ducum fastigium a Constantino ita coercitum est, ut nimia exueretur potestate. Quos, e paribus sibi comites quum redderet suos, limitum cura militari cum imperio certe definito iis commissa, cetera cum hierarchia administrationum ad unam formam redegit.

Quae hierarchia civilis sive politica, quamquam per certos et definitos imperandi et obediendi gradus distributa, multum aberat, ut ordine, semel qui placuisset, rigido nec unquam mutabili perstaret. Quam contra, quum et ipsa summo illi constitutionis Constantinianae

76) cf. *Salmas.* ad *Trebell. Poll.* trig. tyrann. c. 11 et 12.

77) quorum *Probus* velut seminarium quoddam instituit suae disciplinae (cf. *Vopisc. Prob.* c. 22).

78) *Vopisc. Numerian.* c. 12. cf. *M. Vogel: der Kaiser Diocletian, ein Vortrag* etc. Gotta 1857 p. 65.

79) cf. *Vopisc. Aurelian.* c. 18, 21.

fini, ut nempe omnia sub dispositione unius principis essent⁸⁰⁾ ejusque sacro gubernarentur nutu, inservire deberet, nec semper eandem fuisse apparet et talem, quae pro necessitatibus principis vel boni publici facile a stricto ordine declinaret. Ob hanc rem variationes nonnullas diversis temporibus haec praebet hierarchia. Invenimus enim in eadem et lacunas quasdam, et, praeterita superiorum dispositione, magistratus inferioris dignitatis vice sacra agentes provinciasque vice sacra administratas.

Atque hisce etiam mutationibus viam Constantinus, quantum judicari potest, primus aperuit. Sic, ut intra fines Orientales, quod propositum est, nos contineamus, in codice utroque vicarius Daciae⁸¹⁾ non commemoratur. Fuit olim provincia Dacia curae principis ipsius commissa; — dioecesis Dacia, nullo intercedente magistratu medio, praefecti praetorii per Illyricum sub dispositione posita erat⁸²⁾. Quae vicariatus Daciae vacatio inde a Constantino fortasse repeti potest, quum constet, utramque Daciam eo jam regnante Imperatore formam ultimam accepisse⁸³⁾.

80) *Boeking* Not. dign. Imp. Or. p. 175.

81) etiam omnium officiorum examine, quod, *Imp. Leone et Zenone*, praebet J. Cod. XII. tit. 6. l. 10.

82) sic et Illyricum, nullo vicario, sub dispositione ipsius praefecti praetorii per Italiam fuisse docet Not. Dign. Imp. Occ. (*Boeking* p. 476, 1159).

83) *Boeking* Not. dign. Imp. Or. p. 136.

Nec et Orientis dioecesis diu vicarium retinuit. Qui quum etiam sub Constantino exstitisset⁸⁴⁾, Constantio Augusto, jam comiti Orientis locum cessit⁸⁵⁾, qui imperio longe majori dioecesi eidem praeesset⁸⁶⁾. A generali norma provinciarum administrandarum etiam Aegyptum, idque ex quo in provinciae formam fuerat redacta, exceptam videmus. Quam, tanquam principis ex praediis privatis maximum⁸⁷⁾, copiasque, quibus coërceretur, inde ab Augusto equites Romani obtinebant loco regum⁸⁸⁾, ceteris procuratoribus fisci et dignitate et militari imperio praeerentes. Titulum habebant praefectorum Aegypti et postea praefectorum Augustalium, gradumque exceptum talem, ut putarentur ab Augusto proconsulari ornati fuisse imperio⁸⁹⁾.

Aegyptiacae praefecturae tam praecipua fuit dignatio, cujus titulo etiam alii ornarentur magistratus, quousque plus haberent auctoritatis⁹⁰⁾. Quin eadem, Imperii

84) cf. *Gothofred.* Not. dign. Cod. C. *Theod.* p. 26.

85) *ibid.* p. 24. s. an. 341.

86) *Zos.* l. I. p. 248. Justiniano Imperatore et ducum instituendorum videtur potestatem habuisse; cf. *Theophan. Chronogr. C. Scriptt. hist. Byz.* ed. Bonn. I. p. 267.

87) ἀγίστων τῶν κτημάτων nuncupat *Philo* ap. *Becker* l. I. III. 1. p. 209.

88) cf. *Tacit.* hist. l. c. 11, *Strab.* XVI. p. 797.

89) cf. *Dig.* l. 17, l. 4, *IN.* XXX. c. 5.

90) cf. *Spartian.* Hadr. c. 7. ibique *Casaubon.* *Vopisc. Aurelian.* c. 13.

sede Constantinopolin translata, nihil de gravitate prisca amisit ⁹¹). Constantino imperante, praefectus Augustatis quid ceteris vicariis praestiterit, parum liquet, nisi huc trahenda sunt, hac de dignitate quae Justiniano ⁹²), antiqua fortasse repetita consuetudine, placuerunt, ut Aegypti provincia ⁹³) sub ipsius dispositione praefecti esset.

Haec ad augendos magistratus excogitata erant, — quos alio loco dignitate deminutos reperimus. Sic lege cavuit Constantius, ne per provinciam Insularum, Asianae dioeceseos, appellatio interposita ad praefectum praetorii per Orientem fieret, sed ad praefectum urbis Constantinopolis ⁹⁴).

Aliam, eamque graviorem, exceptionem habemus, quae, ordinem hierarchiae quum frangeret, provincias quasdam sub directa ipsius principis dispositione reponerat, iisque praepositos, arctiore sensu, Imperatoris ipsius vicarios faciebat, qui provincias sibi commissas vice sacra regerent. Quae excelsa dignitas propria proconsulum erat ⁹⁵). In Notitia Dignitatum non

91) cf. Amm. *Marcell.* ed. Vales. p. 340 sqq., 511.

92) J. Edict. XIII. c. 1.

93) praesidialis in Not. Dign. Imp. Or. et Hierocli cf. *C. Scriptt. hist. Byz.* ed. Bonn. Const. Porph. III. p. 399, et *Wesseling* ad l. ibid. p. 536. Praeside caret in Not. dign. Cod. *Theod.*

94) *Gothofred* ad L. 32. Cod. *Theod.* XIII. 5.

95) Quorum eam ob causam sacrum dicebatur examen

amplius III reperiuntur proconsules, qui, quamquam diversa potestate, id tamen commune habebant, quod de ipsis appellatio directe ad principem ipsum fiebat. Africae proconsul provinciam, nullius praefecti praetorio dispositioni subditam, summo loco moderabatur ⁹⁶). — Proconsul Asiae, praefecti praetorii per Orientem imperio exemptus ⁹⁷), et ingentem proconsulatum suum vice sacra regebat, et consularem Hellesponti et praesidem Insularum sub dispositione habebat ⁹⁸). Quamobrem et Asia deest inter dioeceses praefecturae Orientis ⁹⁹), neque Hellespontus Insulaeque dicuntur sub dispositione vicarii Asianae esse, a cujus dispositione exceptae erant ¹⁰⁰). — Tertius proconsul Achajae fuit, et ipse

cf. l. l. 3 et 62 Cod. *Theod.* XI. 30; adi s. v. ejusd. tit. omnem de appellationibus, cujus XVII primae leges ab ipso Constantino Magno ortae sunt. Quod ad jurisdictionem spectat, solis praefectis praetorii, a quorum sententia appellatio nulla erat, ordo proconsularium auctoritate cedebat (Cod. *Theod.* XI. 30, l. 16, VI. 28, l. 7). Ultima lege allata, quae Honorii est, etiam agentibus in rebus proconsularis tribuitur dignitas, fortasse ob id ipsum, quod directe ad principem referebant. cf. Manso l. l. 157.

96) *Boekting* Not. Dign. Imp. Occ. p. 147, 419 sq., 451.

97) Hierocl. l. l. 393 atque *Wesseling* ad l. Proconsulum Asiae seriem ultra ultima IVi saeculi decennia persequi non licere, cf. *Gothofred.* Not. Dign. Cod. *Theod.* p. 23.

98) cf. Not. Dign. Imp. Or. c. XVIII. § 1.

99) ibid. II. § 1.

100) ibid. XXII. § 1.

fortasse inde a Constantiniano repetendus aeo ¹⁰¹). Qui, quamquam potius jura habebat honoris, nihilominus tamen Achajam vice sacra regebat.

Quodsi, Constantinianam Imperii administrandi formam adumbrando hucusque deducti, paulisper constiterimus, intimam ejus respecturi naturam, nequaquam fugere potest quemquam, ipsam, quum in votis omnium fuisset, tum et necessitatibus temporum accommodatam fuisse. Nam et Imperialem dignitatem, novis fundamentis substratis, talem reddidit, cujus nutu omnia in posterum fierent, et ad principis arbitrium redegit omnes honores officiaque deferenda, et ipsas, quae deferrentur, dignitates administrationesque, quantum tunc fieri potuit, diligenter pensitavit, atque alteram ab altera distinxit et invicem ordinavit. Sed ab altera parte non deerant ei signa nonnulla, quae ostenderent, ipsam nonnisi ad tempus mansuram. Nam, uti superius Imperium, item ne Constantiniana quidem forma scriptam habuit legem —, immo usui commissa erat duratura in posteros. Accedit, quod multa habuit ex statu priore desumpta, multisque rebus novis nomina imposuit vetera. Hinc plura dubia atque obscura, nec nobis tantum sed aequalibus quoque ipsius summi instauratoris, vel certe qui proxima post eum vixerint aetate. Unde et hierarchiam dignitatum et administrationum ipsam et

101) *Gothofred. Not. Dign. Cod. Theod.* p. 22. Hierocl. l. 1. 392 c. ann. *Wesseling.*

totam omnino formam Constantinianam brevi in deterius abituras atque perituras etiam apparet.

Sed ne per se ipsa quidem carebat nova Imperii forma imminentis fati germinibus, praesertim quod ad naturam officiorum deferendorum, comitivae ipsius, attinet. Quae omnia — accedentibus praeterea continuis barbarorum procellis — formam Imperii, et, quam describendam sumsimus, provinciarum administrationem sensim ad eum perduxerunt modum, quem apud Byzantinos scriptores, imprimis apud Constantinum Porphyrogenitum, reperimus. Inter quas formas — Constantinianam nempe, Latinam referentem indolem, et Graecam posterioris aetatis, a Porphyrogenito descriptam — locum quasi intermedium tenet regnum Justiniani, juris Romani summi conditoris, qui et orbem Romanum restauravit et idem ad omnia perturbanda natus videbatur ¹⁰²).

Sed et aliam faciem eadem praebet Constantiniana constitutio, quae summi conditoris operi diuturnitatem praebuerit, quamquam ingenio magnanimo, quo regeretur, extincto. Namque tam praepotentem et Imperatorem ipsum et domum Augustam fecit, quos — ut proximis Constantino temporibus perstemus — nec Imperium ab

102) *Procop. hist. arc. in C. Scriptt. hist. Byz.* ed. Bonn. II. p. 3. De regno Justiniani, transitionis ab antiquo in novum statum cardine cf. *Fallmeyer Geschichte von Morea im Mittelalter* I. p. 163, 207.

ipso Constantino partitum nec inde enata rerum conversio nec Magnentius Vetranoque, quum et usurparent Imperium et legitimi facti essent Imperatores ¹⁰³), nec, orbe Romano nondum bifariam diviso, simul regnantes Augusti Caesaresque evertere possent. Neque minus se flexibilem praebuit hierarchia dignitatum et administrationum a Constantino excogitata.

Quam destinatum, quemadmodum vidimus, ut Imperialem dignitatem super omnia extolleret ejusque nutui omnia subjeceret, eandem parem fuisse apparet, quae intra suos fines contineret effrenatissimam honorum, avaritiae, dominandi cupidinem, modum omnem excessuram et, modo expleretur, omnia eversuram. Sic, ne longius progrediamur et Imperio nos contineamus Orientis, Rufinum ex. gr. via solita ad honores videmus promotum, et, quum res omnes in Imperio pro arbitrio et ludibrio haberet, non fuisse nisi praefectum praetorio ¹⁰⁴). Quem loco qui deturbaverat potestatemque jam nimis auctam ipse exceperat, spado Eutropius consul fuit, deinde patricius ¹⁰⁵).

Atque etiam ipse Alaricus, quum sat habuisset Graeciam totam vexasse recessissetque ad tempus, opportunam occasionem opperiens se praebituram res

103) *Burckhardt* l. l. 377, 381, 383.

104) *Zos.* l. l. p. 243.

105) *Pauli Real-Encyclopädie der classischen Alterthumswissenschaft* III. p. 319.

Romanas denuo perturbandi ipsamque, sors si tulisset, evertendi Romam, quasi regale parvi haberet fastigium, magisterio militum per Illyricum sibi delato acquievit ¹⁰⁶).

Quodsi, quas supra significavimus, internas requisiverimus causas systematis Constantiniani in pejus mutati, — duas reperiemus praecipuas.

Etenim in hierarchia Constantiniana magistratus quidam inerant, naturae vel non satis definitae vel ejus, quam ob ambiguitatem quandam facile lapsuram putares. Sic vicarii, dioecesibus qui praeficiebantur quibusdam, non iidem videntur fuisse ac, praefectorum praetorii per singulas dioeceses qui vices agerent ¹⁰⁷), id quod, nominis ratione habita, opinandum videatur. Inde, re et nomine inter se discrepantibus, factum est, ut in administrationem provinciarum alii subreperent vicarii ¹⁰⁸), magistratum qui fungerentur officiis omnibus tam civilium quam militarium, eorumque, nec id superiorum tantum, salva dignitate, loca tenerent ¹⁰⁹). Sic

106) *Sozomen.* VIII. 95.

107) *Manso* l. l. p. 135.

108) Utpote seriores *τοποτηρηταί* (cf. *Du Cange* ad *Ann. Comn.* l. l. p. 76. 44), qui similitudinem habebant eorum, qui in constitutione Caroli Magni comitum locum tenebant. cf. s. v. *Eichhorn* *Deutsche Staats- und Rechtsgeschichte* § 164.

109) Vid. L. 1. *Cod. Theod.* II. 33 ad *Dracilianum* agentem vices p. p. et ibi *Gothofred.* Pro magistro militum agentem in Galliis v. ap. *Boeking* *Not. Dign. Imp. Occ.* p. 276. De vicario Longi Muri utroque, praefecti praetorio uno, magistri militum altero cf. *J. N.* XXVI. pr.

non multo post Constantinum vicarium reperimus Mesopotamiae, qui nihil nisi locum praesidis tenebat ¹¹⁰). Qui pravus mos magis magisque videtur invaluisse, quippe quem Justinianus operam dederit ut tolleret, constitutionibus, quae vicarios hujus generis dari vellent, iterum ac saepius editis ¹¹¹).

Ne proconsulum quidem honos omnino confusionis expers fuit. Quorum dignitatis praecipuum honorem etiamsi in eo quis requirat, quod jus vice sacra dixerint, tamen ne tum quidem tres illos, quos notavimus, veteres proconsules inter se pares fuisse reperiat. Cujus honoris si certa ac definita unquam existit significatio, ea, procedente tempore, nec spatio nimis longo, periisse videtur.

Altera totius systematis corrumpendi ansa ipso dignitatum deferendarum modo, quem comitivam dici posse supra docuimus, praebita erat. Quemque honorem, quemque magistratum, quamque rem administrandam comitiva dari posse, jam vidimus.

Ex quo facile sequitur, fieri potuisse, ut plures dioeceses, provinciaeve vel aliae administrationes junctae ad tempus eidem magistratui subderentur, pariter atque beneficia ecclesiastica inter se disjuncta uni clerico aut ad tempus aut, quoad ipse vivat, tribui

110) L. IV. Cod. *Theod.* VIII. 4. *Boeking Not. Dign. Imp. Or.* p. 125.

111) VIII. 4, XVII. 10, XXVI. 4, XXVIII. 4, XXIX. 2, CXXVIII. 20, CXXX. 1.

possunt ¹¹²). Simili modo etiam administrationes diversorum inter se generum, quae singulae singulas efficerent comitivas, in manu unius magistratus conjungi poterant, hierarchiae ipsius concinna dignitatum distributione non laesa. Quod quum, in dies fieret crebrius, ipsa temporum necessitate poscente, ad subvertendam totius systematis vim, necessario progressu, valuerat.

Cujus generis diversorum officiorum uni traditorum exemplum satis maturum lege habemus ab Imperatoribus Valentiniano II, Theodosio I ad Matronianum, praesidem eundem et ducem Sardiniae, missa ¹¹³). Atque etiam usitatum quid videtur hisce Imperatoribus regnantibus fuisse, ducalem dignitatem cum praesidiatu jungi ¹¹⁴).

Cujus cumulationis etiam Notitia Dignitatum, quae ceterum hierarchiae strictum ordinem servat, exempla aliquot praebet. Sic desunt Notitiae dignitatum Imperii Orientis praesides Isauriae Arabiaeque, imperio utroque, militari et civili, his in provinciis iisdem magistratibus commisso; quam exceptionem, infra locus erit, quo iterum et fusius pertractemus.

Causis internis, cur hierarchia politica, quam creavit Constantinus, non fuerit duratura, cognitis, et jam integritatis turbatae exemplis aliquot adhibitis, jam

112) *Boeking Not. Dign. Imp. Or.* p. 165.

113) *Leg. III Cod. Theod.* IX. 27.

114) *Cod. Just.* VII. tit. 62, l. 32. § 1.

aevum Justiniani attingimus, quem cardinem haberi posse indicavimus rerum a forma Constantiniana administrationis provinciarum in eam transmutandarum, quam apud scriptores historiae Byzantinae posteriores, praesertim apud Constantinum Porphyrogenitum, invenimus uberius perscriptam. Sed, quum etiam novas dignitates et novarum dignitatum novas excogitasset appellationes Justinianus, et hierarchiae priscae et magistratuum per civiles et militares administrationes diggestorum fines plerumque egressus esset, non tamen systema ipsum, a superioribus acceptum principibus, funditus evertit. Immo, quum etiam ipsum multimodis immutasset, antiquitatis nomine praetento, multa novavit, novandique causas in ipsis, quae in Imperio administrando accepisset, jam exstantes reperit, hisque utendo imperatores priorum temporum auctores invenit; quos ipse certe omnes hac in re superavit. Sic — ut ad supra dicta redeamus — proconsulatum auxit numerum, tribus novis proconsulibus creatis Palaestinae, Armeniae I et Cappadociae¹¹⁵⁾, sed nec potestate eadem, nec ipsa dignitatis significatione certiore.

Nec segnius egit Justinianus in cumulandis dignitatibus jugendisque in unius magistratus manu diversorum generum administrationibus. Immo his ipsis in cumulationibus praecipue quaerendae sunt Justiniani no-

115) cf. Nov. XXX, XXXI.

vationes atque transitus ad posterioris aevi administrandarum provinciarum formam.

Civiles administrationes et antea cum militaribus junctas fuisse, quum supra viderimes —, tamen ex illo tempore id aliter factum esse atque ita, ut major inde prioris ordinis perturbatio oriretur, manifestum erit, si rationes, qua tunc quaque superiore aevo id factum sit, inter se comparaverimus. Atque comparandi modum reperimus fortasse in iis, quae supra (pag. 47) attulimus de Isauriae Arabiaeque moderatoribus, militaribus iisdem et civilibus. Praesidum, quos deesse notavimus Notitiae, utrumque olim exstitisse satis constat. Isauria praeter comitem etiam praesidem jam antiquitus, certe inde a Diocletiano, habuit¹¹⁶⁾. Arabiae praeses reperitur in lege quadam Constantii¹¹⁷⁾ atque etiam tempore ipsius Justiniani¹¹⁸⁾. Quum neutrum magistratum habeat Notitia, neque Isauriam neque Arabiam praesidiales reponit inter praesidiatus dioeceseos Orientis. Quum vero, utrique provinciae militares qui praefecti essent magistratus, iidem et civiles fuerint atque jus dixerint ut civiles, utramque provinciam nihilominus sub dispositione praefecti praetorii per Orientem Notitia reponit¹¹⁹⁾, scilicet ut civiles administrationes.

116) *Wesseling* ad Hierocl. I. I. p. 399.

117) id. *ibid.*

118) *J. N. C. M.*

119) *Not. Dign. Imp. Or. c. II. § 1, 13* unde versus: „Et dux et comes rei militaris“ cum *Boekingio* delendus est.

Atque sic in ipsa cumulatione dignitatum distinctionem, hierarchiae quae erat in principiis, militarium scilicet administrationum a civilibus, servat. Cujus distinctionis omnia vestigia in posterum sustulit Iustinianus; quum Isauriae comitem spectabilem sui nominis praeficeret, Iustinianus declaravit¹²⁰⁾, quod quibusdam ex superioribus Imperatoribus tamquam imago et figura in mentem venisset, idem se in Isaurorum provincia fecisse. Nolle se enim amplius, ut, qui in hoc magistratu sit, duplicibus symbolis utatur, et quum civilis magistratus appellationem tum militaris potestatis insignia sumat, ac, quum una res sit, duplex nomen ferat, sed, ut unitum habeat magistratum, statuere, qui et armorum curam gerat et publica capessat, omnia vero in se habeat etc.

Verba constitutionis ipsa ex parte attulimus, quibus, ni fallimur, pristinam rationem comitivae, manifestum est, certe aliquantulum commutatam, si non omnino sublata. Nam non solum vetatur ea constitutione in posterum duorum distinctorum inter se magistratuum ulla haberi ratio, sed etiam, duabus potestatibus in unum redactis omnia negotia tractandi imperium, ejus ipsius imperii quasi fundus facta est Isauria, ipso imperio dato iis, qui in posterum huic provinciae praeficerentur.

Novum dixeris rerum administrandarum principium,

120) N. XXVII.

si non diserte expressum, tamen significatum certe hac lege, atque et ipsum quasi praecursorem posterioris aevi institutionum esse, quibus scilicet a terris, quas possiderent, dignitatem et potestatem sumerent, qui iis praecessent, magistratus. Arabiae praefecit Iustinianus magistratum, cui provinciae administrationes militares, civilem et fiscalem commisit, novaque a se excogitata dignitatis appellatione moderatoris ornavit¹²¹⁾. Constitutionis ejusdem, qua moderator Arabiae praeficitur, praefatio docet, laesam jam esse, quae ante obtinisset, inter militaria civiliaque officia aequalem et concinnam distributionem. Qui enim, ut ipsius afferamus verba, civili magistratu fungebatur, ita abjectus erat, ut ei, qui armis praeerat, paene servili loco esset et in voluntate ejus salus ipsius posita esset, vel ut plane non esset hic magistratus. Alibi¹²²⁾ vehementissime ducibus interdicitur, ne se immisceant civilibus administrationibus; „sciant, quod, si rebus civilibus se ingerere audeant, nec militaria retinebunt etc.“ Jam pridem similia et eveniebant et vetabantur¹²³⁾.

121) N. CII.

122) Edict. IV. 2.

123) cf. legem Arcadii et Honorii civilem causam ad militare iudicium trahi vetantem (Cod. Theod. II. 1, 9). Alias ejusdem sententiae superiorum Imperatorum receptas ab Iustiniano invenimus; sic legem *Valentiniani*, *Gratiani* et *Theodosii*, ne viri illustres comites (rei militaris sc.) et magistri peditum et equitum ullam in provinciales habeant pote-

Sed tanta vis erat novi rerum ordinis undique ingruentis, ut, quas alibi praevalere militares administrationes vetaret, easdem et ipse civilibus praeficeret. Sic duabus Thebaïdibus¹²⁴⁾ unum dedit spectabilem ducem, „cui etiam harum provinciarum peculiare magistratus obedirent, quique in eodem honore esset, in quo praefectus Augustalis, tanquam si ipse foret, atque per omnia praefecti praetorio per Orientem praeceptis tribunali que Orientali subesset, quemadmodum tunc etiam spectabilis praefectus Augustalis subesset.“

Hoc loco, quem integrum totumque perscripsimus, parum abest, quin funditus utriusque administrationis distinctionem eversam esse putaveris¹²⁵⁾. Neque fieri

statem; nec amplissima praefectura in militares viros (C. I. 29, 1), sic aliam: Imp. Valentiniani, Theodosii et Arcadii, qua praecipiant, ne quando curiales vel privatae conditionis homines ad militare exhibeantur iudicium etc. (ibid. tit. 46.1.2).

124) Edict. XIII. c. 22. Duas Thebaïdas et Hierocl. (l. 1. p. 399, ubi ad *Wesseling.*) habet; unam tantum Not. Dign. Imp. Or.

125) Sic et Lycaoniam, Pisidiam et Isauriam, praesidibus antea subditas, et appellationes ad sedem praefecti praetorii mittentes, iis ipsis praetorum imperio decoratis, nihilominus — „εἰ καὶ δοκεῖ πως συναναμειχθῆναι τὴν αὐτῆ καὶ στρατιωτικῆν καὶ πολιτικῆν, ἰσχυρῶς πρότερον καὶ δοῦναι ἐφ' ἑκάστης τούτων ἐπαρχίας“ — examen appellationum inde missarum apud solum praefectum praetorii reliquit (N. XX. 4). Similiter statutum est de Cappadocia et ipsa proconsulari facta, postquam civilem administrationem cum militari junxit (ibid. c. 2). Thraciae quum spectabilem praetorem militari simul et civili imperio dedisset Justinianus, salvis tamen ordinariis ejusdem iudicibus,

potuit, quin, cumulando potestates et civiles etiam militari ornando, re ipsa nova forma administrationis sese ingereret, salvis ceterum et veteribus insignibus et prioribus appellationibus. Quorundam antiquissimam repetendo significationem iis, quae novaverat, praetendit. In his prae ceteris proconsulatus curam gessit novosque creavit proconsules, sui quos dignatus est nominis designatione. Palaestinam Armeniamque proconsulares fecit, hisque Justinianeos proconsules praeposuit, honoris magis augendi, quam potestatis titulo¹²⁶⁾. Sed, Cappadocia ex praesidiali ad proconsularem honorem eversa¹²⁷⁾, magistratum, quem ei praefecit, prae ceteris cumulando potestatibus extulit. De quo creato iterum ipsius constitutionis verba afferre liceat¹²⁸⁾. „Cum aliis magistratibus, quos nuper inter „Pisidas, Lycaonas, Thracas institimus, administrationis forma et acervus ex duarum rerum congressu constitit: tum vero majore hunc forma adornare cupientes, tertiam etiam potestatem illi adjicimus. Nam „is, quem huic praeficiemus officio, non solum praesidebit legibus et universae cohorti civili, sed etiam praesidebit militibus, — perinde quasi per ea loca

duplex prioris ordinis facta est perturbatio; nam ab iudicibus ad praetorem appellabatur, a praetore autem ad praefectum praetorii (N. XXVI. 1, 5).

126) N. XXX, XXXI.

127) N. XX. 2, XXX. 1, 4.

128) Nov. XXX.

„super milites cum imperio positus sit. Permittimus „etiam illi in homines Tamiacos imperium — et triplici „forma conflatum habebit magistratum, siquidem et ci- „vilis magistratus erit, et militaris, neque non Tamiacis „quoque rebus praesidebit.“ Quibus in verbis tenemus etiam, quam supra jam adumbravimus, Imperii admini- strationem trifariam divisam diserte expressam, nec minus diserte etiam fiscales res tractandae novis com- missae esse traduntur magistratibus, quod idem de Isauriae comite moderatoreque Arabiae, supra indica- vimus, admitti vel posse vel etiam debere. Neque et novas appellationes novis imponere magistratibus ve- ritus est Iustinianus. Moderatori commissam Arabiam jam vidimus. Alterum moderatorem Phoeniciae prae- fecit Libanesiae¹²⁹⁾, certe magistratum mere civilem —, sed quem, e ducalibus ad spectabilem sublatum et jussum eximio fortissimorum Tertiodelmatorum¹³⁰⁾ nu- mero imperare, militarem quendam ornatum et prae- stantiam habuisse appareat. Tertium moderatorem utri- que Ponto¹³¹⁾, in unam contracto Hellesponti provin- ciam, praefecit, cui etiam militares submitis copias¹³²⁾.

Atque alios quoque magistratus creavit Iustinia- nus, qui non modo imperii natura, sed nomine etiam

129) Edict. IV. 1, 2.

130) cf. *Du Cange* Gl. Gr. s. v.

131) Hierocl. l. l. p. 396, 397. J. N. VIII Notit. § 26.

132) N. XX, XXVIII. 6.

eorum, qui posteriori erant aevo, commonerent. De praetoribus agendum est, quos instituit Iustinianus at- que, deprompta de suo nomine appellatione, — tam- quam novandi sibi conscius¹³³⁾ — Iustinianeos dici praecepit.

Praetorem Iustinianum praefecit Iustinianus Sici- liae¹³⁴⁾, alium praetorem Iustinianum Lycaoniae prae- posuit, eam provinciam qui imperio tam civili quam militari administraret¹³⁵⁾. His ipsis cumulatis instru- ctum potestatibus alium Pisidiae dedit¹³⁶⁾. Paphlago- niae, Honoriadi Paphlagoniaeque unam in provinciam contractis, praetorem praefecit¹³⁷⁾. Denique vicarius Longi Muri uterque praetori Iustiniano Thraciae loco cesserunt, potestate militari civilique instructo, salvis Thraciae ordinariis iudicibus.

Quodsi narratione interrupta saecula aliquot prae- occupemus oculosque conjiciamus ad Imperium admi- nistrandum, quemadmodam a Constantino Porphyro- genito descriptum esse novimus, post debacchatas pro- cellas, quarum undique flantium vi Imperium plus semel Orientis superstes jamjam abreptum Occidentis Imperium visum est sequiturum, — Imperii administrationem mere

133) v. adhibitas Nov. cf. et Edict. IV. 1.

134) N. CIV.

135) N. XX. 4, XXV. 1.

136) N. XXIV. 4.

137) N. XXIX. cf. XX. pr.

militarem évasisse videmus. Provinciae nomen thematis nomini cessit. quod et ipsum numeri est militum ¹³⁸) nomien. Quorum singula a magistratu administrabantur, utraque instructo potestate ¹³⁹). Strategii hi provinciales magistratus appellabantur, dignitatis titulo eodem, atque, Justiniano qui placuerat, praetorum, idque etiam Justiniani ipsius ex sententia ¹⁴⁰). Quo tempore mos invaluerit Imperium per themata administrandi, et indagatu perquam difficile est, nec omnino huc pertinet ¹⁴¹). Ipse Constantinus Porphyrogenitus, nec satis luculenter,

138) *Const. Porph.* l. l. III. 11, et ibid. *Banduri. Du Cange* *Gl. Gr. Θίμα.*

139) cf. *Fallmeyer* *Geschichte Morea's im Mittelalter* I. p. 343. Quos ob hanc potestatum cumulationem cum Turcicis confert pashis *Zinkeisen* *Geschichte Griechenlands* etc. I. p. 795. De thematis ordine sat erit adhibuisse *Const. Porph.* de adm. Imp. l. l. III. p. 225. cf. etiam s. v. eund. de ceremoniis aulae Byz., l. l. I. p. 202, 713, et ibi *Reisk.* Sub stratego Macedoniae judicem Graeciae (κρίτην Ἑλλάδος) fuisse vid. *Const. Porph.* de cerem. aul. l. l. p. 657 et ibid. *Reisk.* Exemplo Milengorum et Ezeritarum (*Const. Porph.* l. l. III. p. 221, 223) intelligi potest, quod fuerit strategii fastigium.

140) Sic de praetore Paphlagoniae Justiniano subjicit: ἕξισσι δὲ αὐτὸν ἑλλάδι γλώσση καὶ στρατηγὸν καλεῖν (J. N. XXIX. c. 2). Praetorem ob militares simul et civiles functiones et comitem Isauriae vocat cf. Nov. XX. c. 4. Rursus *Const. Porph.* l. l. III. p. 13 κόμητας τοὺς νῦν στρατηγούς, nullo amplius inter comites utrosque facto discrimine.

141) Strategos certe jam extremo VII. p. Ch. n. saec. reperimus ex gr. ap. Theophan. in *C. Scriptt. hist. Byz.* I. p. 563.

hac de re scribit, et diversis temporibus themata facta esse tradit ¹⁴²). Ex his nonnulla provincias easdem tenebant, quibus praetores praefecerat Justinianus; sic et Thracicum ¹⁴³) thema habemus et Anaticum, praeterquam ex ceteris, etiam ex Lycaonia atque Pisidia conflatum ¹⁴⁴). Cappadociam in thematis formam redactam temporibus ipsius Justiniani suspicatus est ipse Constantinus ¹⁴⁵). Atque re ipsa videtur affirmari posse thematum institutio necesse fuisse ex iis oriretur, quae de provinciis Imperii administrandis Justiniano placuissent, vel potius quae ratio temporum poposcisset.

Constitutionibus plerisque, quas supra attulimus, praefatus est Justinianus de causis, ob quas annum induxisset, ut acceptum ordinem mutaret ¹⁴⁶). Sed praeter has praefationes — etiamsi veriores essent, quam verbosiores — res gestae ipsius Justiniani, temporumque necessitates ¹⁴⁷) magis magisque crescentes veras et sinceras causas ostendunt hierarchiae dignitatum veteris laesae concinnitatis, provinciarumque administrandarum prioris formae tam multimodis mutatae.

142) atque quasdam recentissime cf. *Const. Porph.* de them. l. l. III. p. 35.

143) ibid. p. 44.

144) ibid. p. 15.

145) ibid. p. 20.

146) cf. s. v. N. XXIV, XXV, XXVII, XXVIII, XXIX. c. 5, CH.

147) ex gr. in Nov. XXVI. pr.

Tot provinciae vel Imperio restitutae vel de integro occupatae novos poscebant magistratus; tot bella, quibus illae paratae sunt, quaeque a superioribus acceperat Justinianus, quum juberent, arma semper expedita esse, postulabant, ut et novi plerique militares crearentur magistratus et priores civiles, quum remansissent, militari adjecta potestate, et ipsi quasi acriores redderentur, re tanquam ad arma delata. Quorum utrorumque sat erit exempla nonnulla in notis proferre ¹⁴⁸).

Dixeris Constantinum magistratibus arma ademisse; crescentibus deinde in dies bellis externis, furentibus in ipso imperio intestinis, et barbarorum repetitis incursionibus, — magistratibus arma restituta esse ¹⁴⁹).

148) Sic magistro militum per Armeniam, Pontum, Pa-
lemoniacum et Genites recens creato (L. 5, C. de off. M. m.
l. 29) has provincias cum suis ducibus curae commisit, comite
Armeniae omnino sublato. In Armenia II constituit duces,
Procop. l. l. III. p. 248, 251, 252. Item in Tzanica fecit,
Procop. ibid. p. 259. sq. etc.

149) Rebus ita constitutis, per se liquet, quanti fuerint
duces momenti, et fontium probari potest auctoritate. Quae
materia, ut extra fines praesentis opusculi posita, non est
fusus pertractanda. Sufficiat indicasse Germani exemplum,
quomodo exercitum collegerit (cf. Procop. l. l. II. 447), ut
revocetur in mentem Caesaris de delectu apud Germanos locus
(l. G. VI. 23). Robur exercitus firmandi *δορυφόροι* erant, sic
ex gr. Germani (Procop. l. l. II. p. 169). Majori honori ducis
quum essent, dignitate diversi, interdum et principes
(ibid. p. 47), et fidelitatis insignia praehuerunt exempla (ex
gr. ibid. 516, 604), et juramentum praestabant duci, quem
comitabantur, fidelitatis, id quod *Procopius* (l. l. I, 491)
Romanum nuncupat morem.

Atque inter extremas illas rerum constitutiones, Constantinianam scilicet, et, quam supra leviter attigimus, thematum, regnum Justiniani medium est. Quodsi complexi erimus, quae de utroque imperio, civili et militari, ab Justiniano singulis tradito diximus, apparebit, Imperii orbem extremum provinciis ab eo cinctum fuisse militari forma administratis, ac denique, forma ea ad interiores Imperii provincias translata, thematum rationem initam esse. Quae, licet a numeris militaribus et integra et partium nomina deprompsissent, nullo modo justis tantum numeris, qui eas defenderent, commissa videntur fuisse.

Incolas ipsos thematum ex Constantino discimus Porphyrogenito militiae adstrictos fuisse, atque ita etiam, ut sola, quae vel possiderent vel colonorum lege exercerent, militandi obligatione gravarentur, nec ad hostes propulsandos tantum, sed etiam, ut extra suos fines stipendia facerent ¹⁵⁰). Qui rei militaris status, etiamsi

150) Muneribus per singula themata partitis. Sic, Constantino Porphyrogenito teste (l. l. I. p. 651 sq.), ad expeditionem, quam contra Cretam Leo suscepit, — „ἐδέξατο ὁ στρατηγὸς τῶν Κιβυρραίωντων (de hoc themate cf. eund. de them. l. l. p. 36; de conventu Cibyrhatico v. *Plin.* H. N. V. 28, 105, *Strab.* XIII. p. 631) ἔχειν στρατὸν εἴ, καὶ διπλοῦς (quos *Reiskius* [ad locum] vicariis esse censet) ᾱ. Ἐδέξατο ὁ στρατηγὸς τοῦ Αἰγαίου πελάγους ἔχειν στρατὸν γ, καὶ διπλοῦς α — καβαλλαρικῶν, ἀπὸ τοῦ θέματος Σεβαστίας Ἀρμενοὶ α, ἀπὸ τὸ Πλατάνιον Ἀρμενοὶ φ, ἀπὸ τῆς Πρίνης φ — Διὰ τοῦ θέματος τῶν Κιβυρραίωντων. Δρόμονες τέ ἔχοντα ἀνὰ ἀνδρῶν, καπηλατῶν σλ' καὶ ἀνὰ

proxime ad medii aevi, quod Occidentis imperium nobis ostendit, similitudinem accedat, — tamen ne ipse quidem expers est perpetui cum antiquis connexus; immo Justi-

πολεμιστῶν ο'. Πάμφυλοι (de bis vide *Reisk.* ad Const. Porph. de cerem. *ibid.* p. 644) ις', ἔχοντες οἱ μὲν σ' ἀνὰ ἀνδρῶν ρξ', οἱ δὲ ἕτεροι ι' ἀνὰ ἀνδρῶν ρλ' — Διὰ θέματος τῆς Σαύμου. Δρόμονες ι' ἔχοντες ἀνὰ ἀνδρῶν κωπηλατῶν σλ', καὶ ἀνὰ πολεμιστῶν ο' — Πάμφυλοι ιβ', ἔχοντες οἱ μὲν δ' ἀνὰ ἀνδρῶν κωπηλατῶν ρξ', οἱ δὲ η' ἀνὰ ἀνδρῶν ρλ' — Διὰ τοῦ θέματος τοῦ Αἰγαίου πελάγους. Δρόμονες ζ' ἔχοντες ἀνὰ ἀνδρῶν κωπηλατῶν σλ' καὶ ἀνὰ πολεμιστῶν ο' — Πάμφυλοι ζ' ἔχοντες οἱ μὲν γ' ἀνὰ ἀνδρῶν ρξ', οἱ δὲ ἕτεροι δ' ἀνὰ ἀνδρῶν ρλ' — Διὰ τοῦ θέματος Ἑλλάδος. Δρόμονες ι' ἔχοντες ἀνὰ ἀνδρῶν κωπηλατῶν σλ' καὶ ἀνὰ πολεμιστῶν ο'. Διὰ τῶν Μαρδαϊτῶν (de bis cf. *Reisk.* ad locum) στρατῶς σὺν ἀρχόντων ρπξ', καὶ κατὰ προσθήκην ἕτεροι α. Imperante Romano Lecapeno, cum Peloponnesios ad expeditionem bellicam in Longobardiam mittere vellet (Const. Porph. de adm. Imp. l. l. p. 243), ἤρτίσαντο οἱ αὐτοὶ Πελοποννήσιοι μὴ ταξιδεῦσαι, ἀλλὰ δοῦναι ἱππάρια χίλια ἰστρωμένα καὶ χαλιωμένα καὶ λογάριον κεντενάριον ἕν, quae promissa colligenda pro ratis partibus in incolas Peloponnesi dispertita sunt (id *ibid.*) „ὁ μητροπολίτης Κορίνθου ἱππάρια τέσσαρα, ὁ μητροπολίτης Πατρῶν ἱππάρια τέσσαρα, οἱ ἐπίσκοποι πάντες τοῦ θέματος ἀνὰ ἱππάρια δύο, οἱ πρωτοσπαδάριοι ἀνὰ ἱππάρια τρία, οἱ σπαδαροκανδιᾶτοι ἀνὰ ἱππάρια δύο, οἱ σπαδάριοι οἱ στρατῶρες ἀνὰ ἱππάρια ἑνός, τὰ βασιλικὰ καὶ πατριαρχικὰ μοναστήρια ἀνὰ ἱππάρια δύο, ἄπορα μοναστήρια συνδύο ἱππάρια ἕν, οἱ δὲ ἔχοντες βασιλικὰ ἀξιώματα πλώμιαι κογχυλευταὶ χωροποιοὶ, ἱππάρια οὐ δεδώκασιν. Ἰστέον ὅτι καὶ πᾶς ὁ στρατὸς Πελοποννήτου ἀπητηδήσαν ὑπὲρ τοῦδε τοῦ ταξιδίου ἀνὰ νομισμᾶτα ε', οἱ δὲ παντελῶς ἄποροι συνδύο νομισμᾶτα ε', εἰς ἃν συνέστη καὶ τὸ προῖχόν διὰ χαράγματος κεντενάριον ἕν.“ — Aliibi idem Constantinus Porphyrogenitus de modo delectus habiti mentionem intulit, quam et ipsam ipsius verbis exacribi malimus (de ceremon. aul. l. l. p. 695): „Ἰστέον, ὅτι ὁ καθ' Ἑλλάδικὸς στρατιώτης ὀφείλει ἔχειν περιουσίαν ἀκίνητον, ἧγουν τόπια,

nianum huic etiam militiae generi tanquam praclusisse reperimus.

Sed, quae huc spectantia Justiniano placuerunt, quamquam nonnisi brevissime perlustraturi sumus, enarrari vel etiam adumbrari vix queant, nisi eorum inde ex prioribus temporibus repetantur origines. Jam plus semel in memoriam revocavimus bella, quae, unā cum Imperio condito nata, strepitu perpetuo omnibus Imperii fatis tanquam accuebant, fataque ipsa magna ex parte regebant. Atque indicavimus etiam haec ipsa bella duplicis fuisse naturae. Nam praeter externa bella suscepta, quae justa appellaverim, inde ab Augusti regno Imperii fines tumultuario nunquam cessanti exercebantur bello. Et brevi non sufficere visa est legitima et assueta militia ad propulsandos barbaros, undique fines Imperii incursantes. Una cum ducum nova militari dignitate militiae novum genus ortum est, limites ut tueretur, cui imperandi ducibus ipsis ab initio officium erat. Militum in limitibus collocatorum, ut eos defenderent, prima fortasse in vita Agricolae¹⁵¹⁾ mentio fit,

λιτρῶν ε', ἢ τὸ ἕλαττον λιτρῶν δ', ἰστέον, ὅτι ὁ βασιλικὸς πλώμιος στρατιώτης ὀφείλει ἔχειν περιουσίαν ἀκίνητον, ἧγουν τόπια, λιτρῶν γ' — ὅτε δὲ πτωχεύσωσι, δίδονται αὐτοῖς καὶ συνδύοι πρὸς τὸ δε' αὐτῶν ἔχειν τὸ ἑκατὸν καὶ δουλεύειν τῆν ἰδίαν στρατίαν κ. τ. λ. Quae omnia adhibita per se loquuntur, nec commentarii indigent, quo demonstretur, quam a priscis temporibus distent, quam contra similitudinem referant rerum novarum, praesertim a Carolo Magno constitutarum.

151) c. 41, cf. quae *Heinsius* ibi annotat.

nisi huc traxeris, quae et ipsa hanc militiam sapit, castellanorum bello Alexandrino ¹⁵²) injectam mentionem. Eosdem fortasse milites dicit Herodianus, ubi Laetum, quum praetorianos hortaretur, ut, defuncto Commodo, Pertinacem Imperatorem renunciarent, pollicitum esse ait, hujus Imperium non illis solis profuturum sed etiam iis militibus, qui in ripis fluminum et in limitibus Romani Imperii sedes accepissent ¹⁵³). Proprio nomine, eoque, quod et in posterum retinuerunt, hujus generis milites, limitanei scilicet, reperiuntur in vita Pescennii Nigri ¹⁵⁴). Limitanei, qui hoc loco commemorantur, per Aegyptum dispositi, bello videntur impliciti perpetuo cum vicinis Saracenis, stipendiarii que fuisse. De Alexandro Severo scribit *Lampridius* ¹⁵⁵): „sola, „quae de hostibus capta sunt, limitaneis ducibus et militibus donavit, ita ut eorum ita essent, si haeredes „eorum militarent nec unquam ad privatos pertinerent. „Addidit sane his et animalia et servos, ut possent colere, quod acceperant, — ne desererentur rura vicina „barbariae.“ Idem Imperator et veteranis — legitimo jure colonias deducendi jam exstincto ¹⁵⁶) — eadem

152) c. 42.

153) II. 2.

154) Spart. Nigr. c. 7.

155) Lamprid. Alex. Sev. c. 58.

156) Militarium coloniarum ultimam Veronam a Gallieno deductam vid. *Pauly Real-Encyclopädie etc.* II. p. 511.

conditione fundos dedit in limitibus Imperii positos ¹⁵⁷).

Qua donatione huic militiae generi impertiit, quae ipsi propria essent. — Claudio porro dicuntur limitanei curae fuisse ¹⁵⁸), nisi locum adhibitum cum *Casaubono* ¹⁵⁹) potius ad res gestas Probi referri placet. Hic enim ¹⁶⁰) „caesis prope 40,000, qui Romanum „occupaverant solum, reliquias ultra Nicrum fluvium et „Albim removit: — contra urbes Romanas et castra in „solo barbarico posuit atque illic milites collocavit. „Agros et horrea et domos, annonam Transrhenanis „omnibus fecit, iis videlicet, quos in excubiis collocavit, — nec cessatum est unquam pugnari —, quamdiu „reguli novem ex diversis gentibus venirent, atque ad „pedes Probi jacerent; quibus ille primum obsides imperavit, qui statim dati sunt; deinde frumentum, postremo etiam vaccas et oves. Dicitur jussisse his „acrius, ut gladiis non uterentur, Romanam expectaturi „defensionem, si essent ab aliquibus vindicandi ¹⁶¹). „Sed visum est, id non posse fieri nisi si limes Romanus extenderetur et fieret Germania tota „provincia. Accepit praeterea 46,000 tironum, quos

157) *Fragm. Paul.* 11 pr. D. XX4. e.

158) *Trebell. Poll. trig. tyr.* c. 25 (26).

159) ad locum superiore nota allatum.

160) *Vopisc. Prob.* c. 13, 14, 16.

161) Si qui hostes existerent, qui ipsorum bello premerent, dum suas injurias ulciscerentur (*Casaubon. ad loc.*).

„omnes per diversas provincias sparsit, ita ut nume-
 „ris vel limitaneis militibus quinquagenos vel sexa-
 „genos intersereret, dicens, sentiendum esse, non viden-
 „dum, quum auxiliariis barbaris Romanus iuvatur. —
 „His gestis Orientem petiit atque in itinere — omnem Isau-
 „riam liberavit, populis atque urbibus Romanis legibus
 „restituitis, barbarorum qui apud Isauros sunt — loca
 „ingressus est: quae quum peragravisset, hoc dixit: faci-
 „lius est ab istis locis latrones arceri, quam tolli. Ve-
 „teranis omnia illa quae anguste adeuntur loca ¹⁶²⁾
 „privata donavit, addens, ut eorum filii ab anno octavo
 „decimo mares duntaxat ad militiam mitterentur, ne
 „ante latrocinari quam militare discerent.“

Locus de limitaneis, de veteranis, de praediis no-
 va lege militandi utrisque datis tam utilis est, quo toto
 allato uberiore his de rebus disquisitione nos prope
 supersedemus. Neque tam hujus opusculi est hanc
 materiam, quam, ad illam quae spectent, penitus tractare,
 — sedes videlicet barbaris in extremis provinciis con-
 cessas, atque natos inde colonos simul et milites, quos
 laetos, gentiles etc. invenimus nominatos. Quae res,
 licet maximi sit momenti animosque in se converterit
 scriptorum elegantissimorum ¹⁶³⁾, eo tamen facilius

162) Graecorum *πίλας* posterior actus elusuras vel elu-
 sas dixit, etiam Graeci *κλεισούρας* (Casaub.). De elisuris cf.
 etiam s. v. *Du Cange* ad An. Comn. I. I. p. 113.

163) quibus prae ceteris describendis *Boeking* non par-
 vam partem suae Not. Dign. Imp. Occ. dedicavit p. 1081 sq.

omitti posse videtur, quod in Imperio Orientis utrius-
 que horum militiae generum vix unquam mentio infer-
 tur ¹⁶⁴⁾. Limitanei contra utriusque Imperio communes
 fuerunt. Atque, ad Orientis Imperium animum si ad-
 verterimus, limitaneorum mentionem invenimus in iis,
 quae Procopius de foederibus a Diocletiano cum finiti-
 mis Nobatis et Blemmyibus initis refert ¹⁶⁵⁾. Constan-
 tinum deinde Magnum, ut res ceteras omnes, ita mili-
 tiam ordinasse accepimus. Atque, ne sexcenta nomina,
 quibus quasi obrutam tunc temporis militiam invenimus,
 omnia proferamus, sat erit meminisse, inde a Constantino
 morem, milites universos in copias legionarias, hasque
 dignitatis gradibus diversis in palatinos, comitatenses
 et pseudocomitatenses, — atque in praesidia, scilicet
 limitaneos ipsos, quos eosdem ripenses, riparienses,
 castricienses nominatos esse constat, dividendi inva-
 luisse ¹⁶⁶⁾.

164) *Boeking* Not. Dign. Imp. Or. p. 235. Per Gallias
 erant frequentissimi; etiam per Africam v. *Gothofred.* ad L.
 I. Cod. Theod. VII. 15.

165) cf. *Procop.* I. I. I. 102. Hic reponi placet et lo-
 cum Anonymi scriptoris, Notitiae Imperii subditum et a *Go-
 thofredo* commentario suo in Leg. I. Cod. Theod. de terris
 limitaneis intextum: „Hujus modi igitur provisionis utilitas
 „in augmentum provincialium habet, veteranos regis donis
 „opulentos, et ad colendos agros adhuc praevalentes agricolas:
 „Habitabunt limites Arabum quae dudum defenderunt loca, et
 „laborum desiderio potiti erunt ex milite collatores.“

166) *Manso* I. I. p. 144. De iisdem ad *Gothofred.*
 paratitl. Cod. Theod. Libr. VII.

Ex quo tempore, una cum universa militia, et limitanei et terrae ipsis atque veteranis datae sollicitae legislationi materiam praebuerunt. Constitutiones huc spectantes, quas principes Justiniano superiores Justinianusque ipse ediderunt, sat erit ordine notasse ¹⁶⁷). In novo genere militiae et praediorum, quibus donata est, militarium non est cur subsistamus. Atque, ad sola quod attinet, cum veteribus aliquot ¹⁶⁸) conditione iis apposita jure offendimur; neque enim apponi solebat in deducendis coloniis. Nec multum abest, quin feudi quandam speciem suspicemur, vel certe initia quaedam ejus juris, quod postea varie introductum est et feudorum appellatione designatum. Erat sane lex similis feudorum constituendorum, ut, qui praedium colendum acciperet, danti fidem et militiae munus aut aliud servitium exhiberet.

Huic, quae sese ultro obrudat, sententiae alteram, eidem cognatam sane sed accuratiorem, conferamus, atque talem, unde illa prior coerceri ex parte, et ad justiorem modum redigi debeat. Quam exquisitiorem sententiam *Gothofredi*, abstinere nequeo, quin huc adhibeam. „Tam veteranis igitur, ait ¹⁶⁹), quam militibus hujus modi, terrae limitanae concedebantur; et

167) Cod. Theod. VII. 15 de terris limitaneis. Nov. Theod. II. lib. I. tit. XXXI, C. J. XI. 59 de fundis limitotrophis.

168) *Casaubon.* ad c. 58 Lamprid. v. Alex. Sever.

169) Ad l. I. Cod. Theod. de terris limitaneis (VII. 15).

„humana provisione; quia videlicet hac ratione, neque „alia temere melius limitis tuitioni prospicitur. Hu- „mana rursum, quia et veteranos hoc quasi feudi be- „neficiique genere pensari, post exsudatos militiae la- „bores, humanum visum fuit. Et quidem inter alios „gentiles, qui scilicet e barbaris ultro ad Romanos „transibant, atque operam suam militiae, laribus suis re- „lictis, praestabant: quos hac ratione retineri humanum „visum fuit — ceterum gentiles hi per varias Imperii „Romani partes seu provincias dispersi fuerant, atque „adeo per varios Imperii limites, veluti per Gallias — „itemque per Africam. Quae de gentilibus dixi, eadem „et de Laetis dicenda sunt. — Laeti illi non alii sunt, „quam Liti sive Lidi et Leodes, atque adeo vassallo- „rum et hominum genus militiae adstrictum. Ut ad „legem nostram redeamus, sententia legis haec est: Ter- „rarum spatia seu Terras limitaneas, quae gentilibus propter „curam et munitionem limitis et fossati ¹⁷⁰) concessa „sunt, neminem possidere posse, nisi sub eodem onere „vel opere. Et ideo etiam non gentilem earum pos- „sessorem, eidem subjacere, quemlibet justum earum „possessorem. Eo renuente, has terras ad gentilem, a „quo recesserant, retrahendas: Si reperiri non possit, „ad veteranos, sub eodem semper fossati et limitis

170) De hoc verbo, quod posteriore aevo pro castris et pro ipso exercitu dicebatur, v. eund. ibid. Adde etiam Const. Porph. de cerim. aul. l. l. I. p. 458, de adm. Imp. III. p. 310.

„onere transferendas. Res videlicet cum suo hoc onere
 „semper ambulabat. — Sic sane et castellorum terri-
 „toria nonnisi a Castellanis militibus¹⁷¹⁾ possideri
 „potuerunt. — Haec proinde jam prima lex seu
 „conditio hujusmodi beneficii terrisque adnexa erat;
 „puta curae et munitionis seu defensionis limitis et
 „fossati. Et hactenus de prima conditione harum ter-
 „rarum limitanearum, beneficio principum ex antiquo
 „concessarum: puta, de lege servitii. Ex quo et aliae
 „conditiones sequebantur. Altera scilicet conditio haec
 „erat, quod ad alios privatos¹⁷²⁾ transferri non pote-
 „rant, nisi sub eadem servitii lege — Postrema con-
 „ditio, quod ad filios masculos et haeredes non transi-
 „rent, nisi militarent. — „Quae pleraque ad feudorum
 „naturam proxime accedunt. Atque, ut hae conditio-
 „nes horum beneficiorum seu terrarum Limitanearum
 „fuerunt; unde etiam apparet non pleno proprioque
 „jure militum eas fuisse; ita retro, ab omni munere
 „immunes liberaeque erant; atque hoc sensu, optimo
 „jure militum et veteranorum erant: atque in eo al-
 „lodiis similes erant hujusmodi terrae seu praedia,
 „quae sane ab omni consuetudine sive exactione cen-
 „suque quietae sunt, salvo tantum jure protectionis, su-
 „premae jurisdictionis et districtus: in eo tamen dissi-

171) De castellanis adi l. II. Cod. Theod. (VII. 15) et ibi *Gothofred.*

172) De privatis, militaribus scilicet qui hic opponuntur, cf. id. *ibid.*

„milia, quod allodium hereditarium praedium sit, quod
 „vendere et donare licet, ut rem jure hereditario pro-
 „prium in proprietatem et patrimonium datam, ut
 „γενεαρχικά, et hereditates aviaticas, et sic ex integro
 „ad aliquem pertineret. Illae vero terrae limitotro-
 „phae nec ad omnes, ut dictum est, nec nisi cum one-
 „ribus seu conditionibus hactenus enunciatis transferri
 „poterant.“

His gravissimi auctoris hac de materia verbis per-
 stare potuerimus, animoque omnino acquiescere, nisi
 putarit aliquis, subjungendum esse, ut limitotrophos
 fundos, quum re ipsa nova praeoccuparent instituta,
 ita et, de iis quae editae fuerint, constitutiones, utpote
 de re adhuc nova, fortasse non satis concinnas medium
 quandam obtinuisse locum inter allodii feudique na-
 turam.

Forsan et placuerit tertiam comparisonem seli-
 gere instituti Romanis consuetudinibus pariter alieni —
 sortium nempe, allodiorum proprio sensu, quo nomine
 acceptae terrae et beneficia principis et sane immunes
 erant, excepta justii belli gerendi obligatione¹⁷³⁾, et
 successione ad heredes atque sane ad mulieres quoque,
 si non plane praeclusas, attamen viris postpositas, trans-
 ibant, id quod aliter fieri non potuit, quum possessio

173) Ad proprias defendendas sedes: Landwehr, ex qua
 militia progressu regiae potestatis heribannus (Heerbann) factus
 est. cf. s. *Eichhorn.* l. l. I. p. 499.

armorum consuetudinem exigeret¹⁷⁴). Adde, quod hic modus terras acquirendi possidendique in ipsi Imperii provinciis obtinuit, quum Imperatores terras barbaris intra Imperii fines occupandas concessissent¹⁷⁵), idque sub eadem fere tempora, quibus editae sunt illae de limitotrophis fundis constitutiones¹⁷⁵). Quae sive ita sive secus sunt, in fundorum limitotrophorum instituto primum quasi gradum tenemus ad eam militaris soli possessionis speciem, quam supra, Imperio per themata digesto, ubique invaluisse roburque Imperii effecisse notavimus. Atque, ut denique ad Justinianum redeamus, quem utramque Imperii Orientis constitutionem inter se connexuisse plus semel affirmavimus, videndum est, quae ille de hoc novo militiae genere decreverit feceritque.

Quas de eo constitutiones superiorum Imperatorum¹⁷⁶) aliquot in suum receperit codicem Justinianus, jam supra annotavimus. Verumtamen eundem Ju-

174) cf. *G. Waiz*, Deutsche Verfassungsgeschichte. Kiel 1844. vol. I. p. 202. *J. Grimm*, Deutsche Rechtsalterthümer. p. 472. *Eichhorn* l. l. § 65. Prae ceteris videtur nobis concinne et eleganter armorum in hereditate adeunda rationem *Philippis* expressisse in: Deutsche Geschichte, mit besonderer Rücksicht auf Religion, Recht und Staatsverfassung. Berlin 1832. vol. I. p. 166 sqq.

175) Ex gr. Burgundiis et Wisigothis. cf. *Watii* Chron. ad a. 419, Prosper. Aquit. ad a. eund. Prosper. Tiro ad a. 443.

176) Imp. Valentiniani, Valentis, Gratiani, Honorii, Theodosii et Valentiniani III.

stinianum id ipsum institutum, quod, lege nusquam abrogata, sancitum esset, nihilominus sustulisse, per vulgata opinio est Procopii auctoritatem sequentium¹⁷⁷). — Id quod vix credendum sit, respectu habito et Imperii, Justiniano regnante, ab hostibus circumdati et bellorum ab ipso susceptorum et barbaricarum gentium irruptionum undique minantium, et denique militiae tantis conatibus et postulatis vix parvis atque insuper interdum labentis¹⁷⁸); ita ut Imperium, medias inter vix unquam cessantes longinquas expeditiones, justis ad ipsas copias avocatis, nudum et indefensum primo occupaturo dereliquisse vesani profecto ingenii esset, non solum avarissimi et turbidi, quod loco alato Procopius illustrat. Nec revera unquam sublatis sunt limitanei milites. Quod ne locus ille Procopii quidem disertis verbis profert, quem, praesertim quum brevior sit, placet transcribi: „Olim, ait, Romani Imperatores passim in extremis oris frequentes militum „manipulos constituerunt, qui limites Imperii Romani, „praecipue per Orientis provincias, tuerentur, indeque „Persarum atque Saracenorum incursiones vimque arcerent, quos et limitancos appellavere. Hos Justinianus adeo statim despiciatui duxit, ut quadriennialia et „quinquennialia stipendia illis a quaestoribus differrentur.

177) In historia arcana l. l. III. p. 135.

178) De militiae statu in deterius verso cf. *Agathiam* in *C. Scriptt.* hist. Byz. ed. Bonn. p. 305 sqq.

„Romanis vero Persisque inducias agitantibus, miseris illis
 „commodo pacis fructuris certa erant ex aerario conce-
 „denda stipendia; tandem eos Caesar per injuriam ex
 „albo militum expungit; ita demum Romanorum fines
 „praesidio destituti; miles limitaneus ex priorum mani-
 „bus et largitate pendebat.“ Quae verba, insuper etiam
 animo scripta ad id intento, ut omnia ad augendam Justi-
 niani invidiam in majus acciperentur, — neque de limi-
 taneis cunctis agunt, neque praeter negata — ad tem-
 pus stipendia, atque ob eam rem ex albo — nequa-
 quam ex laterculo — deletum limitaneorum nomen,
 quidquam habent. Quod idem — stipendium dico ad
 tempus ablatum — et alias factum esse constat (179),
 militia ipsa, limitaneorum ipso instituto, nihilominus in-
 columi. Atque re vera et ipsi Justiniano superstites
 fuisse limitaneos milites, monumenta aevi multo poste-
 rioris ostendunt (180), ita ut, omnibus rebus perpensis,

179) cf. ad loc. *Procopii* supra allat. quae annotavit
Alemannus. Sublatos eos fuisse nec ap. Suidam memoratur,
 cujus locum hic (s. v. Λιμιταναῖοι) apponere placet: „οἱ Ρω-
 „μαίων βασιλεῖς ἐν τοῖς ἄνω χρόνοις πανταχόσε τῶν τῆς πολιτείας
 „ἑσχατιῶν κάμπολυ κατεστήσαντο στρατιωτῶν πλῆθος, ἐπὶ Φυλακῆ
 „τῶν ὀρίων τῆς τῶν Ρωμαίων ἀρχῆς, καὶ κατὰ τὴν εἴηαν μάλιστα μοί-
 „βραν, ταύτη τὰς ἐφόδους Περσῶν τε καὶ Σαρακηνῶν ἀναστέλλοντες,
 „οὓς περ λιμιτανάους ἐκάλου. τούτοις Ἰουστινιανὸς οὕτω δὴ παρέργως
 „καὶ Φαύλως ἐχρήτο, ὥστε τεσσάρων ἢ πέντε αὐτοῖς ἐνιαυτῶν συντά-
 „ξεων τοὺς χορηγοὺς ὑπερημέρους εἶναι. ἐπειδὴν δὲ Ρωμαίοις τε καὶ
 „Πέρσαις εἰρήνη γένοιτο, ἠναγκάζοντο οὗτοι χρόνου ἔητος τὰς ὀφειλο-
 „μένους συντάξεις μὴ λαμβάνοντες τῷ δημοσίῳ χαρίζεσθαι.“

180) cf. *Basilic.* l. LV. tit. 6 περὶ ἀγρῶν λιμηνοτρόφων

notitiam illam Procopii aptius videatur esse ita inter-
 pretari, ut non ad omnes hujus generis milites spectet,
 et fortasse pro poena fidei secus praestitae (181) haec
 stipendiorum privatio habenda sit. Accedit, quod jam
 appropinquabat tempus, quo Imperii incolumitas non
 amplius servari posse videretur, nisi ipsis subditis ad
 propulsandos hostes arma data essent, nisi loca ipsa,
 quibus pericula minarentur, ipsorum, a quibus teneren-
 tur, possessorum vel colonorum praesidio tuta esse
 possent, quo eodem certe limitaneorum militum institu-
 tum ab ipso initio spectabat. Atque sic fortasse non
 avaritia tantum ductus Justinianus hos datis agris
 contentos esse in posterum voluit. Res praeterea eo
 tendebant, ut militia, si non universa, id quod nunquam
 in Byzantino evenit Imperio, certe ea tamen, qua impe-
 rium intus niti posset, eo regrederetur, in quo ab initio
 profecto omnium civitatum, necesse est, sitam esse mi-
 litiam, — ad cives scilicet.

Talem communem omnium, ut ita dicam, militiam
 viguisse et legibus descriptam esse, Macedonum dyna-
 stia solium Romanum tenente, supra indicavimus. Hanc
 et superioribus Imperatoribus in votis fuisse facile quis
 arbitretur; a Nicephoro certe Logotheta tentatam fuisse

receptum ex C. J. XI, 59. his de agris novellam exstitisse
Const. Porphyrogeniti vid. ap. *Gothofred.* ad l. 1 Cod.
Theod. VII. 15. Exstiterunt etiam Comnenorum aeco, v. s.
Du Cange ad Ann. Comn. l. 1. p. 76.

181) cf. notam Alemanni supra allatam.

satis constat¹⁸²). Nec vero temporibus longe vetustioribus prorsus ignota erat, sed, praevalente militia justiore, occulta, donec, urgente necessitate, emergeret. Sic Decium Imperatorem Thermopylas a Gothis servaturum ad Peloponnesium auxilium confugisse, Trebellius Pollio scribit¹⁸³).

Brevi intermisso temporis spatio, nova orta procella eaque tali, qua vix unquam vehementior ad id tempus visa esset, quum innumerae barbaricae turmae Gothorum, Boranorum, Urgundorum, Carporum, Herulorum, regnante Gallo, Illyricum, Moesiam, Thracias inundarent, vagarenturque omnia diripientes usque ad oras Ponti Euxini, ibique navibus conscensis locis pluribus ad Asiam appellerent minorem, atque, nullo obstante, Bosporum occuparent, — iterum victrix evasit Imperii fortuna, pugna atroci ab Aemiliano commissa partaque victoria. Sed fragor armorum, licet longe distans, animis Graecorum pavidam curam incussit atque effecit, ut, quidquid priscarum virium superesset, ex longo torpore letali excitaretur. Minas proferentes Moesia cesserant barbari —, quas ut exsequerentur, primo statim regni Valeriani anno regressi sunt. Atque jam Thracias et Macedoniam sine ullo percurrerunt impedimento et Thessalonice artem tenuerunt obsidione,

182) *Theoph.* l. l. p. 755.

183) in vita *Claudii* c. 16. cf. *Fallmeyer* l. l. p. 95.

quum Hellas universa exstitit, armis pro aris focusque decretura¹⁸⁴). Communis exercitus ad occupandas Thermopylas mittitur; Athenienses muros reficiunt — inde ex Sullae temporibus dilapsos; Peloponnesii, id quod Celticis bellis fecerant, Isthmum muro, a Lechaeo ad Cenchreas ducto, muniunt, publice vero ab omni Graecia tutandae regionis causa excubiae aguntur¹⁸⁵). Per se dimicatura erat Graecia, quum Roma nullum videretur auxilium affuturum. Atque tum quidem per VII annos parsum est Graecis. Sed interdum barbari, in hisque primi Borani, in Asiam trajecerunt, quo facto, Pityus Trapezusque, primae impetum barbarorum expertae, captae sunt. Exemplum a Boranis datum novae turbae barbarorum sequutae Chalcedonem, Nicomediam, Nicaeam, Prusam, Cium, Apameam diripuerunt vastaruntque¹⁸⁶). Quo elati eventu junxerunt barbari distractas ad id tempus vires, decreveruntque uno tempore Orientem et Occidentem petere. Atque, bifariam diviso exercitu, alteri in Italiam tetenderunt, alteri per Illyricum et Asiae provincias infesto festinarunt agmine¹⁸⁷). Quingentis navibus vecti; Maeotide palude trajecta, in Pontum feruntur et Byzantium Chrysopolin-

184) *Zos.* l. l. p. 28.

185) *Zos.* l. l. *Georg. Syncell.* in *C. Scriptt. hist. Byz.* ed. *Bonn.* p. 715. *Zon.* l. l. p. 593.

186) *Zos.* l. l. p. 30 sqq. *Georg. Syncell.* l. l. p. 716.

187) *Zos.* l. l. p. 35.

que occupant; prosperis venti flatibus tum ad Cyzice-
num Bithyniae fretum primum escendunt, Lemnum
deinde et Scyrum insulas depopulantur. Eodem fere
tempore pars ad Atticam appulit, pars multis locis Pe-
loponnesi. Corinthus, Sparta, Argos, Tegea flammis
dantur ¹⁸⁸). Neque Athenae videbantur resistere posse.
Sed Athenienses ex sua ipsorum juventute exercitum
conscripterunt, ut aras focosque defenderent, ducemque
exercitus Dexippum rhetorem elegerunt ¹⁸⁹) denuo
post longissimam ab armis quietem. Athenae vero ni-
hilominus captae direptaeque sunt, — sed Dexippus,
copiis suis per loca difficiliora in insidiis dispositis, —
passim vagantes barbaros, secunda elatos fortuna, ex
improvise adortus, ubicunque ei in manus inciderant,
plurimos sustulit. — Altera Atheniensium manus, Cleo-
demo, cive et ipso, duce, reliquos barbaros a mari
adorta, tantam eorum stragem edidit, ut pauci Athenis
aufugerent ¹⁹⁰).

Postquam summa rerum ad fortiores rediit Impe-
ratores, meliorque atque pacatior status obtinuit Imperii,
— etiam civiles has vel agrestium copias rarius inven-
nimus. Nec tamen omnino finem cepisse crediderim,

188) Zos. l. l. p. 36, Georg Syncell. l. l. p. 717.

189) v. fragm. *Dexippi* in *C. Scriptt.* hist. Byz. ed.
Bonn. I. p. 21 sqq.

190) Zos. l. l. p. 605. Georg. Syncell. l. l. p. 717.
Trebell. Poll. Gall. Duo c. 13.

sin minus, nescio, quid sibi velit Diocletiani laus,
eum vulgum in armis deminuisse ¹⁹¹). Nec for-
tasse hujus generis arma et ipsius Constantini Magni
animum fugerunt, quae suspicor pseudocomitatensium
sub appellatione latere, quae vox, nisi hoc, nullo pror-
sus est sensu.

Quae sive ita sive secus se habent —, id tamen
certum est, statim ortis denuo internis illis peri-
culis militiae ejusdem rursus mentionem fieri. Jam
munitiones Imperii in limitibus exstructae interiores
provincias ab innumeris barbarorum incursionibus pro-
tendendo impares videbantur. Quibus majore ex parte
restitutis ¹⁹²) Anastasius longum murum adjecit, ut
urbem ipsam a Bulgarorum effrenata tutaretur auda-
cia ¹⁹³). Justiniani et his rebus memorabile regnum
fuit. Quod prope totum continuis barbarorum incursi-
bus vexatum est, nec una tantum ex parte, sed per
universum Imperium ab extremis septentriones versus
sitis regionibus usque ad oras Hellesponti et Corin-
thiacam paeninsulam. „Illyricum, scribit *Procopius* ¹⁹⁴),
„Thraciamque totam, Graeciam, Chersonesum, et omnes,

191) Aurel. Vict. Caesar. c. 39.

192) Procop. l. l. I. p. 49, 50. III. 210, 255.

193) cf. *Procopii* Gazaetae paneg. in Anast. in *C.*
Scriptt. hist. Byz. ed. Bonn. I. p. 510.

194) de aedific. l. l. III. p. 108.

„quae a faucibus Ionii maris ad Byzantium usque
„suburbana interjectae regiones populique sunt, ex quo
„tempore rerum potitus est Justinianus, Hunni, Sclabeni,
„Antae pene quotannis incursionibus crudelissime depo-
„pulati sunt. Crederem Romanorum supra ducena millia
„singulis irruptionibus qua fusa, qua in servitum ab-
„acta; ut in his provinciis pene Scythicas solitudines
„videre sit. Porro autem Saraceni in Oriente ad Aegy-
„ptiorum, ad Persarum usque fines hoc toto tempore in
„Romanorum urbes transgressi adeo pertinaciter populos
„afflixerunt, ut nulla sit hominum ibi frequentia; et cae-
„sorum multitudinem assequi numerando non possis.“
Nec talia tantaque mala Justinianus segniter egit ar-
cendo. Munitiones, quas aut jam exstantes reparavit
aut novas extruxit, tantae sunt, ut concedatur Proco-
pio, eas tenui oratione percurrere idem esse videri, ac
grave et magnis plenum ausum periculis, si quis va-
stum trajecturus sit pelagus exarmato navigio¹⁹⁵).
Atque ad Procopium satis est de his lectorem able-
gasse, qui aedificiis Justinianeis opus integrum et ele-
gantissimum dicavit.

Sat erit meminisse, Justinianum, non contentum
finibus Imperii sedulo animo firmatis, idem limitum
militariumque munitionum genus in interiora Imperii
transtulisse, ut qui et hic speciem praeciperet ejus

195) Procop. ut supra l. l. III. p. 264.

militaris administrandi Imperii formae, quam supra
obiter attigimus. Graecia prae ceteris munienda curae
Justiniano fuit, quam triplici serie firmissimorum operum
communivit¹⁹⁶). Una cum his et alterum concepit
Justinianus institutum, exstructis a se munimentis ut
praesidia daret, quod et duplici eventu evasit et in
utroque posteriore aevō eventuris viam praeparavit. —
De militia loquor, cujus supra mentionem fecimus ex
ipsis incolis formata. Quam ex necessitatibus Imperii
enatam et in posterum durasse suspicari sumus, id
quod affirmat Procopius, qui solus auctor memoriae
servavit, quae de hoc genere militiae Justiniano pla-
cuerit statuere, nec quidem, quantum equidem credi-
derim, per Graeciam solam, quamvis de sola Graecia
scribat Procopius. Cujus verba hic integra afferre pla-
cet. „Ad Thermopylas, ait¹⁹⁷), indigenae coloni jam
olim praesidium agitabant¹⁹⁸), quumque in Peloponne-
sum barbarorum incursiones timerentur, ad murum in
ipsis montium faucibus alternas excubias habebant. —
Inibi ad duo millia militum constituit, decretis non ab
aerario publico stipendiis, sed a singulis Graeciae civi-

196) Quibus describendis Procop. librum quartum de
aedificiis dedicavit.

197) hist. arcan. l. l. III. p. 147.

198) Atque rursus illustrati sunt ingenti Hunnorum in-
ruptione; cf. Procop. l. l. I. p. 168.

tatibus, quarum civicos theatralesque redditus, alendorum specie militum praesidiariorum, ad publicum aerarium reduxit, ex eo autem quum in Graecia tum ipsis Athenis nullum publice vel aedificium vel urbanum commodum procuratum est. Atque de Thermopylis rursus idem ¹⁹⁹): „Quin et horrea in tuto et aquarum receptacula ibique fecit; ibidem stationarios milites ad duo fere millia collocavit. — Quondam enim, ac nostra etiam memoria, muri isti a defensoribus plane vacui fuerant. Si quando hostes incursiones facerent, agrestes indigenae, mutato repente instituto, ex tempore bellatores prodibant, ibique in orbem custodiam agitant.“

His, exstantem jam, cogente necessitate enatam, ex indigenis formatam, solo quasi inhaerentem, militiam quum ad ordinem redigeret, Justinianus futurae generalis militiae exemplum praebuisse videtur.

Quod vero ad municipia attinet, et hic quidem futurorum praecursor haberi potest Justinianus.

Jamjam labentem veterem municipalis administrationis formam, municipiis redditus pro arbitrio administrandi facultate adempta, eo inane perduxerat, ut jam multo ante constitutionem Leonis philosophi ²⁰⁰), qua funditus sublata est, prope tota evenesceret, novo-

199) de aedific. l. l. III. p. 271.

200) L. N. 46.

que administrandi modo per Imperiales magistratus ²⁰¹), principesque (*ἀρχοντες*) de claris gentibus ortos ²⁰²), aut — sicubi exstarent — per hospitem coloniis praefectos — locum cederet. Quae omnia, quum hoc primum hujus opusculi quasi stadium excesserint, in aliud faustum tempus uberius tractanda reserventur.

201) Strategos scilicet; urbibus in terminis Imperii positis, et hostium quae maxime conatibus erant expositae, et duces praeponebantur, veluti Dyrrhachio, Antiochiae etc.

202) Sic Patrae ap. *Const. Porph.* l. l. III. p. 217. De archontibus aevi posterioris v. s. et *Fallmeyer* l. l. p. 355, 360 sq., 363 sq., 379, 381, 384 etc.

Sententiae controversae.

Contendo:

1) *Justiniani I regnum cardinem esse transitionis a statu antiquo Imperii Romani ad novum, quem Byzantinum dixerim.*

2) *Βολιάδας sive Βοιλιάδας, Bulgarorum procerum, quam praebent Byzantini scriptores, appellationem, nequaquam linguam Turcicam sapere, uti nonnullis (cf. Schafarik's Slav. Alterth. II. 167) visum est.*

3) *Imperialis potestatis vim ac majestatem, imperante Nicephoro I, absolutam esse.*

